960 a:1

Digitized by Google

Dne 28. října 1868 na vyzvání Slavn. p. místodrž. p. Do... darována s p. Antonínem Gindelym z knihovny domácí české knihovně připsána

Honsík
c. k. čes. knihovník

S. H. K. č. 14/1.

Digitized by Google

1543 VI

Digitized by Google

960a1

Digitized by Google

Digitized by Google

118753

SELECTIORES

ENCYCLICAE LITERAE

ET

DICTIONES SACRAE

Juraj
GEORGII HAULIK DE VÁRALLYA,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPI ZAGRABIENSIS, ABBATIS S. MARIAE V. DE TOPUSKA, INS. ORD. S. STEPHANI REG. APOST. COMMENDATORIS, COMITATUS DE BERZENCZE SUPREMI AC PERPETUI COMITIS. S. C. ET R. A. MAJESTATIS ACTUALIS INTIMI STATUS CONSILIARII, BANALIS OFFICII IN REGNIS DALMATIAE, CROATIAE, ET SLAVONIAE IN POLITICIS ET JURIDICIS LOCUMTENENTIS REGII, SS. THEOLOGIAE DOCTORIS COLLEGIATI.

TOMUS I.

CONTINENS

ENCYCLICAS LITERAS

CUM DUPPLICI APPENDICE,

QUARUM ALTERA NONNULLAS AD CLERUM JUNIOREM, ALTERA AD SORORES MISERICORDIAE INSTITUTI ZAGRABIENSIS HABITAS

ALLOCUTIONES

EXHIBET.

SLOV. KONSIST. KNIHOVNA V OLOMOUCI

VIENNAE,

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE.

1850.

OK
LJ

Digitized by Google

BX 874
.A2 H37
V.1

INDIANA UNIVERSITY LIBRARY

Digitized by Google

Reclass 9-23-75
3-7-62

Venerabili Clero

Dioeceseos meae, tam saeculari quam regulari salutem in Domino sempiternam!

Bene religioni et Ecclesiae cupientes viri nonnulli, semel ac iterum me provocarunt: ut pastorales literas meas, ad Clerum dioecesanum variis occasionibus editas, sacras item dictiones, solemnioribus festis ad concionem habitas, ope typi, publici juris reddendas disponerem. Huic ego petitioni diu reluctabar; cessi tandem, quod ipse perspicerem, collectionem idgenus posse aliquam sanctis religionis finibus adferre utilitatem. Offero itaque Vobis et dedico, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, hanc opellam meam, in duos tomos sic redactam, ut primus selectiores encyclicarum literarum mearum, inde ab auspicato episcopatu, in hoc usque tempus, id vero est duodecim annorum, et quod excedit defluxu, ad Clerum dioecesanum dimissarum; alter dictiones sacras, per idem temporis spatium, ad fidelem populum, in Ecclesia mea cathedrali pronunciatas, exhibeat.

Selegi praeterea nonnullas ex allocutionibus ad Clerum meum juniorem, et ad sorores misericordiae Instituti Zagrabiensis habitis, easque primo tomulo — ex paraenesibus item, ad fideles, variis in locis, occasione administrati Confirmationis sacramenti, denique ad proles prima vice

Digitized by Google

sacram communionem peragentes pronunciatis, quas secundo tomo, appendicis instar subnexui.

Idioma retinui, quo singula originarie scripta, aut pronunciata fuerunt.

Si repereritis, reperietis autem indubie, nec pauca, haud satis ad severiorem limam exacta, alia bis, fortasse etiam pluries repetita: eo benevole excusate, quod haec nuspiam ea intentione scripta dictaque fuerint, ut in complexu publici juris fiant; quod item objectorum, quae pertractanda erant, scopí qui intendebatur, denique occasionum rem provocantium, identitas, repetitiones idgenus paene inevitabiles reddiderit. His tamen, atque adeo aliis quoque opellae naevis non obstantibus, poterit eadem et spirituali aedificationi Vestrae subservire, et in exercitio pastoralis muneris aliquale saltem vobis praebere subsidium, modo illud eo susceperitis studio, quo processit: nimirum gloriam Dei, et salutem animarum promovendi. Quod futurum etiam spero, et quidem eo fiducialius, quo libentius mihi persuadeo, me hujus opellae editione, tenue licet, aliquod tamen erga Vos, fraterni, paternique ejus affectus edidisse documentum, quo semper Vos complexus fui, porroque, dum usura hujus lucis mihi supersit, complecti nunquam sum cessaturus.

Zagrabiae die 24. Aprilis 1850.

Digitized by Google

Index

eorum, quae primo hoc tomo continentur.

	Pag.
Sermo pastoralis, occasione capessitae Sedis episcopalis habitus	1
Literae pastorales ingruente Quadragesima anni 1838. editae. .	33
Encyclicae quoad catecheticam juventutis institutionem, de anno 1838.	37
Encyclicae intuitu scholarum vernacularum, de anno 1839. . .	50
Encyclicae visitationi canonicae praemissae, de anno 1839. . .	56
Encyclica quadragesimalis, intuitu praecipuarum in animarum Curatore virtutum, dimissa anno 1840.	69
Encyclicae quadragesimales, fine intendendi zeli pastoralis, dimissae anno 1841.	85
Encyclicae, quibus scholarum vernacularum institutum urgetur, de anno 1841.	93
Encyclicae, quoad praestandas relationes de catechetica prolium institutione, de anno 1842.	98
Encyclicae quadragesimales de anno 1842., quibus crescenti in dies indifferentismo dupplicata contentio opponenda inculcatur .	103
Encyclicae de Breviario, anno 1843. dimissae	113
Encyclicae quadragesimales de anno 1844., quibus fidei, charitate zeloque pastorali animatae, necessitas demonstratur . . .	134
Encyclicae quadragesimales de anno 1845., quibus vitae sacerdotalis et pastoralis perfectio iterum commendatur.	146
Encyclicae quoad vestis ecclesiasticae jugem deportationem, dimissae anno 1845.	160
Encyclicae quadragesimales de anno 1846., quibus dupplicandi fervoris pastoralis necessitas ex temporum adjunctis comprobatur.	164
Encyclicae quadragesimales de anno 1847., quibus Sanctissimi Patris Pii Papae IX. pastoralis epistola, ad cunctos Praesules, primo Pontificatus sui anno dimissa, comunicatur	176
Encyclicae intuitu Jubilaei universalis anni 1846. dimissae anno 1847.	198
Admonitio pastoralis ad Clerum dioecesanum, ante Comitia anni 1847. dimissa	20

Digitized by Google

Pag.

Encyclicae quadragesimales de anno 1848. de digna, et fructuosa Sacramenti Poenitentiae administratione 210

Encyclicae, quibus Clerus dioecesanus, ob periculosa temporum adjuncta, ad dupplicandum pastoralem zelum exstimulatur, de anno 1848. 225

Encyclicae, quibus nonnullorum e Clero dioecesano, disciplinam coelibatus, regiminisque in Ecclesia catholica formam impugnantium, procacitas retunditur, dimissae anno 1848. . . . 232

Literae pastorales, intuitu recti conceptus vocum: libertas, aequalitas, fraternitas, ad fidelem dioeceseos populum dimissae anno eodem 1848. 255

Literae pastorales pariter de anno 1848., quibus universali Ecclesiae disciplinae et recto ordini adversa studia Districtus Vice Archidiaconalis Stubicensis damnantur 269

Encyclicae quadragesimales de anno 1849., quibus Clerus contra seductivum temporis spiritum praemunitur 302

Encyclicae quadragesimales de anno 1850., quibus Cleri dioecesani attentio ad damna, religioni per tristes recentiorum temporum eventus illata, provocatur 331

Appendix I.

Allocutiunculae ad Clerum juniorem in Seminario dioecesano habitae. Et quidem:

Pag.

Allocutio I. 354

» II. 364

» III. 374

» IV. 383

Appendix II.

Allocutiones in Capella Sororum misericordiae Instituti Zagrabiensis habitae. Signanter:

Pag.

Allocutio I., occasione solemnis instaurationis Instituti pronunciata 393

Allocutio II., occasione professionis religiosae per nonnullas novitias nuncupatae, habita 414

Allocutio III., occasione solemniter nuncupatorum votorum per quinque novitias, pronunciata 421

Errata corrige 431

Digitized by Google

SERMO PASTORALIS

OCCASIONE CAPESSITAE SEDIS EPISCOPALIS, ZAGRABIAE, IN ECCLESIA CATHEDRALI HABITUS, DIE 7. JANUARII ANNO DOMINI 1838.

Venerabiles Fratres,

dilectissimi Filii!

Qui in dissitis abhinc terrarum tractibus natus, Dioecesis Strigoniensis, tamquam benignae matris, uberibus lactatus, aliisque in oris Ecclesiae rebus inserviens, ante lustrum, in Praepositum Majorem Zagrabiensem renunciatus fueram, en adsum, inscrutabili divinae voluntatis decreto, Augustissimi Domini, Regis nostri Apostolici clementiâ, Summi Pontificis, Ecclesiae universalis Primatis, benignitate et gratiâ constitutus Episcopus Vester, et Antistes. O vere admirabilem circa me divinae misericordiae dignationem, o inscrutabilem consiliorum aeternorum abyssum, o inexhaustum gratiarum thesaurum, quem non minus difficile sit ingenii acumine penetrare, quam condigna pietate venerari! Qui me tantillum norunt, credent affirmanti: mihi nunquam tantam fuisse fiduciam mei, ut me his magnalibus dignum reputarem; immo nunquam vel in cogitatis habuisse, ut Ecclesiae Zagrabiensi

Digitized by Google

Praepositus ex me aliquando, mox etiam Antistes existeret. Ut adeo in veritate dicere possim: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*[1]), *gratiâ Tua sum, quod sum et non ego, sed gratia Tua mecum*[2]).

Ab eo inde temporis momento, Venerabiles Fratres, Filiique charissimi, quo me ad eximium pontificalis hujus ministerii munus vocari intellexi, varia, varias in partes animum, mentemque meam agitabant sensa, consilia. Quippe humanae naturae congenitum est, omnique mortali, qui non plane levis sit, inditum, ut, quum ad obeundum grave quodpiam munus deputatur, vim ejus, extensionem, laeta aeque ac aspera eidem implexa, scopum, ac modos, qui hunc efficiant, aut adjuvent, pericula denique atque impedimenta, quae emergere exinde sibi possint, attente apud animum suum expendat; quid sperare possit, quid formidare debeat? disquirat, ac serias eatenus secum ineat rationes. Haec, in ista mei dignatione tanto certius, tantoque copiosius mihi debebant accidere: quanto, et gravis esse indaginis, ad quod vocabar, ministerium, uberius perspexeram; et tenuitatem meam vividius in corde meo persenseram.

Huic immerso cogitationum labyrintho, multa mihi amoena, et jucunda, non enim quidquam negabo, obversabantur, sed multa etiam ingrata, multa formidinis plena, multa sollicitudinis aculeis referta; ut adeo omni pene, quae dulcius afficiebat animum meum, cogitationi, opposita qnaedam, amaritudinem spargens semet adjungeret sensio. Id quod passim, in vitae hujus mortalis casibus, videmus evenire; sapientissima certe providentiae divinae dispositione, paterne evigilantis: ne nimia laetitia fascinet mentem, et ne, quod gratuitum est Numinis donum, in arrogantiae desciscat nutrimentum.

---

[1]) Psalm 130. [2]) 1. Corint. 15.

Digitized by Google

Imprimis, me etiam tacente, intelligitis, Fratres, Filiique dilectissimi, hanc summarum potestatum, visibilis quippe Ecclesiae Capitis, et summi terrae Principis, quorum gravissimo judicio haec mihi pontificalis dignitas collata est, in me locatam fiduciam, non potuisse non laetam mihi, gratamque accidere. Sed vero muneris amplitudo, sanctimonia ejus, et gravitas, vividis adeo coloribus in sacris literis, ac sanctorum Ecclesiae Patrum scriptis, depicta; grande, quod ei suapte natura connexum est, responsionis, coram severo quondam villicationis nostrae judice reddendae, onus premere debebat cor meum, nisi expers foret verecundiae omnis, et studii propriae salutis; premere autem tanto potentius, quanto tenuitatis fragilitatisque meae conscientia reclamabat disertius: hanc ipsam summarum auctoritatum consensionem insignis potius earum benignitatis, quam severioris de mea dignitate et habilitate pronunciati judicii esse documentum. Insonabat, actuque insonat, velut tuba, auribus meis illud Altissimi effatum: *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum, de manu eorum*[1]); insonabat, actuque insonat illud S. Bernardi[2]): *Oportet* (animum Pontificis) *liberum esse, quem nulla sibi vindicet violenta occupatio, oportet ingenuum, quem nulla deorsum trahat indigna affectio; oportet rectum, quem nulla seorsum avertat sinistra intentio; oportet cautum, quem nulla subeat furtiva suspicio; oportet vigilem, quem nulla ab sese abducat peregrina, et curiosa cogitatio; oportet firmum, quem nulla concutiat repertina turbatio; oportet invictum, quem nulla fatiget vel continuata tribulatio; oportet amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amissio, qui praeter Deum timeat nihil, nihil speret nisi a Deo.* Quomodo haec, similesque imagines non concutiant animum ejus, qui introspiciens in speculum nativitatis, et vitae suae, nec speciem nec umbras sublimitatis hujusmodi potest detegere?

---

[1]) Ezech. 34. [2]) L. 4. Cap. 6.

Digitized by Google

Non potuit porro, parte ab una, non laeto affectu demulcire animum meum, ea cogitatio: quod haec recte Dioecesis in sortem mihi obtigerit, quae et antiquitate nobilis, et amplitudine sua inclita est, et hodiedum solis pene constans animabus in veritate catholicae fidei coadunatis; tot praeterea, tantorumque sibi succedentium Antistitum gloriosa memoriâ consecrata. Sed vero parte ab altera hae laudes, adeo praeclarae, meam istam sollicitudinem magis etiam debebant exacuere. Quippe, quanto vetustatis, dignitatisque ornamentis magis illustris est, quam conscendo, cathedra: tanto difficilius videbam esse providere, ne ulla, ex tenuitate mea, maculae eidem labes adspergeretur. Quanto amplioris est ager hic dominicus extensionis: tanto arduo magis, in eo excolendo, labore opus esse perspiciebam; tanto difficilius posse praecaveri, ut ne, parte, inundantia imbrium damnum capiat, parte, nimia ariditate contabescat, parte, zizania sementem enecent, parte singularis eum fera depopuletur. Quanto felicius in haec usque tempora Catholicae fidei unitas in ea est conservata: tanto majori me cura exerceri debere intellexi, ne tepore meo, inhabilitateque defuisse videar custodiendo sacro, quod longa haereditate in manus meas est devolutum, deposito. Quanto demum, inde a primo Episcopo, per S. Ladislaum Regem designato, usque ultimum, Alexandrum, quem, ut praeclare certo de Ecclesia et Patria meritum, honoris causa nomino, splendidior est Antistitum, saeculorum lapsu, in hac cathedra semet excipientium, successio; quanto sublimiora, in hac virorum serie, exstiterant et fulgoris natalium, et sanctimoniae vitae sacerdotalis, et profundae in divinis aeque, ac humanis literis, eruditionis, et amplissimorum, summaque cum laude gestorum in utraque republica munerum, et zeli religionis, profusae munificentiae, aliarumque omnis generis virtutum exempla: tanto confundi me oportebat vehementius, ac pene exinaniri, dum me tot tantorumque virorum cogitaram successorem, in quo nullus

Digitized by Google

natalium splendor, exigua, eaque per varia genera distenta cognitionum penus, infirmitatum autem, fragilitatumque humanarum omnis generis, abundantia; in quo nihil eminentis, quaedam perquam mediocria, quam plurima humilia sunt, et quotidiana. Ut adeo nomina virorum, quales, ne B. Augustinum Gazottum, notissimum illud Ecclesiae Zagrabiensis decus, memorem, verbi causa, fuerunt: Demetrius Cardinalis, apud Summum Pontificem, Urbanum VI. legatione, pro Ludovico Hungariae Rege functus; Eberhardus, et Joannes de Alben, uterque Regiae Majestatis, posterior etiam Reginalis, immo S. Romani Imperii summus Cancellarius; Osvaldus, alter quasi, post quadraginta annorum desolationem, Ecclesiae Zagrabiensis stator; Thomas Bakocz, magni nominis Archi-Episcopus Strigoniensis, et Cardinalis; Nicolaus Olahus, vir non minus apostolico spiritu fervens, quam literarum studiis excultissimus; et, ne nimius in texendis nominibus videar, Georgius ille Draskovichius, non in his solum Regnis, sed in universa, qua per orbem late patet Catholica Ecclesia illustris; ut inquam, horum, hujusquemodi virorum nomina, recordari non possem, respiciens ad exiguitatis meae tenuitatem, quin pudore suffunderer, et subvererer, ne tanta praedecessorum gloria ex indignitate mea quidpiam reciperet obscuritatis, quae, si his nominibus dignus datus esset successor, non parum obtentura fuisset claritatis.

Sed procul ab instituto meo recederem, si cunctas, quae inde a mei ad Cathedram hanc Episcopalem vocatione, partem in utramque me exercuerant, nec in praesens exercere cessant, cogitationes, sensionesque singillatim prosequerer. Itaque missa faciam caetera, nec nisi unicum insuper, pro ingenuitate mea, memorabo: Non parvam quippe mihi attulisse laetitiam, quod, quae mihi collata est Cathedra, iis instructa foret rerum temporalium praesidiis, ut praeter ea, quae dignitatis Episcopalis tuendae deposcit ratio, remaneret etiam, unde in salutares Ecclesiae, Patriaeque fines, ac in

Digitized by Google

detergendas pauperum lachrymas desumi possint subsidia, Sed vero et haec cogitatio suo non caret, eoque amaro satis opposito. Quippe videbam oculis mentis meae, actuque aperte video: in immenso isto fidelium, ad Dioecesim Zagrabiensem pertinentium numero (septingentis millibus, ut scitis, amplior est) tantam esse miserabilium, multifarie aliena ope indigorum, frequentiam, tantam rerum, in utriusque reipublicae commoda constituendarum, necessitatem, ut etiamsi integritatem Episcopalium redituum conservare, successerit, etiamsi uberrima meis rebus affluxerit ab alto benedictio, tamen non omnia, quae desunt, sarciri, non omnes, opem sui Antistitis imploraturi, miseri foveri possint; immo permulti remansuri sint, quibus optata consolatio animo solum et desideriis, non ipsa etiam re, per me, possit impendi.

Dum haec, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, sic partem in utramque versarem mente mea, non potuit utique non subire animum meum summum desiderium: et penitius cognoscendi ea, quae ad explendas gravis adeo officii partes adtinent; et, quae sic cognovissem, adspirante divini numinis gratia, quoquo modo effectui mancipandi. Quippe turpiter neglecti muneris ignominiam, et acerbos conscientiae remorsus haud aliter devitari, ac istos, quos paulo ante delibando memoravi, cordis aculeos, sic tandem posse emolliri intellexeram, si in executione partium vocationis meae, nil praejudicatis opinionibus, aut praecipitantia, nil imprudenti, aut praepostero agendi modo contenderem; nil, quoad ferret exiguitas virium, in reddenda bona, dispensationis mihi creditae, ratione, abs me sinerem desiderari.

Itaque expendi, quantum poteram, partes impositi mihi gradus, et officii. Has cujusmodi existimem? mox, sed, ut poscit angustia temporis, utique per summos tantum apices memorabo. At vero, cum videam clarissime, omnem pene laborum meorum fructum eo referri, ut Vos quoque Fratres, Filiique dilectissimi, incumbenti suo quisque muneri, ex ani-

Digitized by Google

mo, seduloque faciatis satis: facile intelligitis, me in hodiernae diei festivitate, hacque solemni hora, quâ prima mihi obtingit occasio, verba salutis ad Vos dirigendi, praeterire nullatenus posse, quin de Vestris quoque disseram officiis; immo id praecipue, pro loci et temporis dignitate, me agere debere, ut mea de Vestris obligationibus sensa, desideriaque cognoscatis.

* * *

Homini frugi, atque crudae animalitatis repagula egresso, ad impigre obeundas incumbentis sibi muneris partes nihil potest esse efficacius, quam penitius expendere vocationis, id vero est, destinationis suae gravitatem. Omnium nostrum, ceu entium, ad imaginem Dei creatorum, pretiosoque Jesu Christi, agni illius immaculati, sanguine redemptorum, vocatio, quemadmodum probe nostis, Fratres, Filiique dilectissimi, ea est, ut per vitam, sanctissimis Redemptoris nostri praeceptis accomodatam, ad veram illam, nullis temporum limitibus circumscriptam felicitatem, ad beatorum sedes, ad tabernacula justorum, pertingamus. *Nunc vero*, ait Doctor gentium, *liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam*[1]); et S. Petrus: *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum*[2]). Omnium porro nostrum, qui sacerdotii, clericalisque ordinis fungimur ministerio, vocatio in eo consistit, ut christianos populos, praesertim autem curae nostrae spirituali creditos, verbo, et opere, in attingendo sublimi isto salutis aeternae scopo, adjuvemus; ut ductores ipsis, ad hoc, simus, consiliarii, provisores. Hinc est, quod Salvator noster eos, quibus spiritualem populorum curam credidit, pastoribus, multitudinem autem fidelium, ovibus comparaverit; hancque compellationem, tenerrimos certe bonitatis divinae

[1]) Ad Rom. 6. [2]) 1. Petr. 1.

Digitized by Google

conceptus involventem, sed quam ipsam tumida temporum nostrorum ambitio dedignari incipit, hodiedum sancta retinet Ecclesia. Quid jam, quaeso, sublimius esse possit, quam sic homines ducere per virentia aeternarum veritatum pascua, ut digni sint aliquando, in beata illa vita, haurire ex fontibus Salvatoris? Quid nobilius, quam per ministerium verbi, per dispensationem mysteriorum Dei, monstrare populis, non caducos quospiam hujus vitae thesauros, sed egregios illos, quos nec tinea corrumpit, nec erugo demolitur, nec fures furantur? Quid excellentius, quam animas ad immortalitatem conditas, sic custodire per syrtes et scopulos terrestris hujus vitae, ut feliciter queant pertingere ad portas coelestis Jerusalem, *ubi nox ultro non erit, et non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illas?* [1]) *Sacerdotis aspice dignitatem*, ait S. Chrysostomus [2]), *agitur in terra, sed officium coelestibus negotiis continetur: non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia aliqua creatura, non virtus, sed ipse Spiritus Sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne, mysterio fungi praestitit angelorum.*

Porro Fratres, Filiique dilectissimi! grande Religionis christianae, vel ad hujus vitae felicitatem, momentum, nos de salubritate, atque adeo sublimitate vocationis nostrae pastoralis convnicat, est necesse. Quaedam ex temporum potissimum, quae vivimus, ratione desumpta, in rem hanc memorabo: cum his pectora nostra incalescere magis debere plane mecum persuadeam.

Ii ipsi, qui non tam dies aeternos, quam brevia hujus vitae spatia amant meditari; quive carnalibus potius, quam viva fide animatis oculis res solent contemplari, negare, nisi manifestae repugnare velint veritati, haud possunt: christianae fidei, Ecclesiaeque catholicae instituto nullum unquam

[1]) Apoc. 22. [2]) De dignit. sacerd. L. 2.

Digitized by Google

aliud, a quo terrarum orbis exstitit, aestimio dignius, nullum hominibus, relate ad hanc quoque temporalem vitam, fuisse salubrius. Quis, historiae non plane rudis, inficiabitur, ab eo demum tempore, quo Christus Jesus, matutinus ille lucifer, humano generi serenus illuxit, homines exstitisse, quovis sub obtutu hoc nomine dignos; cum ante hac, etsi radii aliqui diviniores hinc inde mentes humanas illuminarint, ipsi quoque, magna parte, ex divinae revelationis foco prosilientes: tamen, quantum ad veram humanitatem, profundae cuncta caligini fuerint involuta? Quis inficiabitur, quod praeclarissima etiam gentilium ingenia, atque adeo ii ipsi, qui animum, ac cor, ad bonitatem factum possidebant, ab ea tamen dignitatis humanae, veraeque virtutis laude, quam incarnati Verbi doctrina in terrarum orbem infudit, quam longissime abfuerint? Quod ipse Cicero, cujus ingenii vim, excultique animi praestantiam orbis demirari non sufficit, quod Plinius, cujus intellectus omni disciplinarum genere excultus, cor mansuetum fuerat, tamen frigido sanguine gladiatorum interfuerint luctis; nec proinde vel suspicati fuisse videantur immanitatem barbari ludi, ad fundendum humanum sanguinem tendentis; crudelitatem spectaculi, quod, cultissimi eorum orbis populi judicio, eo demum censebatur splendidius, quo plures in eo victimae humanae cecidissent? *Perspicuum est*, verissime dicit Origenes[1]), *principium, fontemque vitae purioris, ac sincerioris, atque a mixtione cujuscunque rei alienae, proprie in primo-genito omnis creaturae existere; a qua, qui Christi sunt participes sumentes, veram vivunt vitam; cum hi, qui praeter ipsum vivere existimantur, ut veram lucem non habent, ita nec veram quidem vivant vitam.*

Qui generis nostri vices, ingeniique humani phases vel obiter expenderit, convincatur oportet: in tenuissimo isto doctrinae christianae compendio, quod parvulis nostris damus

[1]) Tom. 4. Comm. in Joan.

Digitized by Google

ediscendum, plus inesse verae, atque ad beate degendam vitam facientis philosophiae, quam insit in cunctis omnium gentium, ac omnium temporum commentariis. Adeo autem haec vera sunt, ut ipsi, Christi fide initiati populi tum demum calcitrare, atque a semita veritatis ad dextram vel sinistram deflectere observentur, dum a Religionis christianae, ab Ecclesiae sanctae placitis, quaqua ratione recedunt, et veram illam lucem, quae illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, deserunt, vanis humanae sepientiae illecebris inescati. Pauca, exempli instar, notabo.

Erant aliquando, sub ipsa jam aera christiana, tempora, quibus integrarum nationum mentes praepostera illa occupavit idea: quasi vero omnis religio externis pietatis operibus absolvatur; sufficiat magnifica struere templa, certis precibus, certis exercendae devotionis actibus vacare; quin seu puritas vitae, et conscientiae teneritudo, seu operans dilectio proximi peculiariter forent attendenda. Error hic, cum suis, quas in suo persaepe traxit comitatu, tristibus sequelis, non aliunde certe promanavit, quam ex neglecto Ecclesiae sanctae spiritu, cuncta pietatis, religionisque exercendae opera ad morum puritatem, vitaeque sanctimoniam dirigentis; semper, et diserte profitentis: *quod diligere proximum, tamquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatibus, et sacrificiis*[1]*);* quod *religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem haec est: visitare pupillos, et viduas, in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo*[2]). Erant e contra tempora, ut nunc sunt, quibus priori oppositus multorum mentes error obsedit: quasi nimirum summa omnis religionis, in solis misericordiae, erga alios exercendae, consistat operibus; ut adeo parum, aut nihil intersit, num, et qualem quis fidem, ac credendorum regulam sectetur; si modo egenis succurrat, si modo hospitalia, brephotrophia excitet, vitam

[1]) Marc. 12. [2]) Epist. Jac. 1.

Digitized by Google

aliorum amoeniorem efficere contendat, et laetiorem? Quo pacto, animi hominum ad pestem illam, quam indifferentismum dicimus, admittendam disponuntur, et christiana fides, ac pietas, quae omnium caeterarum virtutum, atque adeo ipsius erga proximum charitatis fundamentum est, mater et altrix, succutitur; fitque hac ratione, ut evanescente ephemera hac animorum exaltatione, ipsum aedificium, fundamento destitutum, miserabiliter in ruinam agatur. Anne aliunde hoc provenit, quam quod revelationis divinae, in Ecclesia conservatae, sanctissima placita vilipendantur? revelationis, jugiter ingeminantis: *Sine fide inpossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*[1]). Item: *haec est victoria, quae vincit mundum, fides vestra*[2]). Item: *haec est vita aeterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum*[3])?

Sic, nemo ignorat fuisse tempora, et ea quidem sat diuturna, quibus inter christianas quoque gentes, multi eorum, qui rerum potiebantur, ejusdem secum rationalis naturae entibus, ceu mediis, ad ambitionis propriae fines abutebantur; alios in servitutem redigebant, eosque, velut res potius, in sui gratiam conditas, quam entia rationalia considerabant. Quae est, quaeso, tristis hujus, quam cor humanum incurrerat, aberrationis ratio, nisi quod mortales suavissima Ecclesiae placita suis postponerent passionibus? Ecclesiae et Religionis, quae, inde a primis suis incunabulis, eo potissimum se distinguebat a cunctis orbis religionibus, quod omnes omnino homines, dignitate suae naturae, aequales profiteretur; quod jugiter doceret: cunctos ad imaginem Dei esse conditos, cunctos per Christum redemptos, cunctos filios, et haeredes Dei, cohaeredes autem Christi? — Aliis e contra temporibus, ac hac cumprimis aetate nostra, in aliud extremum,

[1]) Hebr. 11. [2]) Joan. 5. [3]) Joan. 17.

Digitized by Google

priori e diametro oppositum, mens humana se agere coepit precipitem. Videlicet male intellecta humanae naturae dignitate, eo processit, ut nullam inter homines, nec relate ad gradum societatis civilis, admittere vellet differentiam; cunctosque, in obversum naturalis rerum ordinis, omniumque aetatum experientiae, perfecta, relate ad omnia, perfrui vellet libertate. Quem itidem, perniciosum sane, utpote ad convellendam tranquillitatem, omnemque prosperitatem publicam tendentem, cuncta, quae sancta, quae salutaria sunt, impia cum arrogantia convellentem errorem, unde prognatum dicetis, Fratres, Filiique charissimi! si non ex vilipensa sapientissima voce Ecclesiae, illi principis Apostolorum effato innixa: *non est potestas nisi a Deo, itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt?* [1]) ex vilipensa Ecclesiae doctrina, quae, divini spiritus sapientia gubernata, videt utique quam distinctissime, non posse omnes homines, relate ad civilis societatis nexus, aequali gradu consistere; singulos proinde, loco per providentiam Patris coelestis sibi assignato, contentos esse debere; Patris coelestis, qui *pusillum et magnum ipse fecit, et cui aequaliter cura est de omnibus?* [2]) ex vilipensa Ecclesiae sapientia, quae procul a vertiginosis pseudophilosophorum somniis remota, probe perspicit, veram libertatem eam tandem esse *qua Christus nos liberavit?* [3]) et quod *ubi spiritus Domini, ibi libertas?* [4]) quodve de istis falsae libertatis praedicatoribus dudum prophetarit S. Petrus Apostolus, dum diceret [5]): *Inescant homines, per concupiscentias, carnis voluptatibus, eos, qui vere aufugerant, eos, qui in errore conversantur, dum illis libertatem pollicentur, cum ipsi servi sint corruptionis.*

Possem plura adhuc in rem hanc adferre, sed vereor, ne haec quoque, relate ad praesens institutum, nimis multa videantur; quae tamen memoranda censui propterea, ut ma-

[1]) Rom. 13. [2]) Sap. 6. [3]) Gal. 4. [4]). 2. Cor. 3. [5]) 2. Petr. 1.

Digitized by Google

gis perspiceremus: nullam, ullo unquam tempore, in aestuanti humanarum opinionum pelago tutiorem ratim, nullam, relate ad temporaneam etiam hujus vitae felicitatem, salubriorem scholam inter mortales surrexisse, quam sit sacro-sancta Religio Christiana, et Ecclesia Catholica; ac ut, sic aestimantes, vocationis nostrae dignitatem, sublimitatemque, tanto profundius in cordibus nostris persentisceremus. Cujus etenim animus, haec attentius expendens, non exardescit; in quo haec firmum non excitant propositum, in nobilis adeo officii exercitio omnimode elaborandi: insensatus sit, ac pene hominis compellatione indignus, est necesse.

Sed vero haec vocationis nostrae sublimitas in ipsis quoque muneris nostri partibus rite cognoscendis nos mirabiliter juvat; de quibus jam me loqui oportet.

Quod imprimis ad me, quem mira coelestis gratiae dignatio Vobis genuit Antistitem, adtinet; video, eo praesertim mihi esse elaborandum, ut ne, in omni vita mea, ullam alicui dem offensionem; sed cunctas actiones meas ad sanctissimae Religionis Christiano-Catholicae, Ecclesiaeque praecepta conformare studeam; memor illius S. Hieronymi[1]): *Domus Episcopi, et conversatio, quasi in speculo posita, magistra est publicae disciplinae; quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant.* Video muneris mei esse, ut, etiamsi illud, quod S. Paulus in Episcopo deposcit, sanctique Ecclesiae Patres exigunt, perfectionis culmen, pro imbecillitate mea, nemini magis, quam mihi ipsi cognita, attingere nequivero, enitar saltem omni virium contentione, ut ne aliud verbis, aliud me vita, et moribus agere quisquam in veritate possit arguere; ut adjuvante divina gratia, *sim sollicitudine impiger, spiritu fervens, oderim superbiam, humilitatem et veritatem diligam, neque eam unquam deseram, aut laudibus aut timore superatus*[2]). Video meum esse, ne unquam erubescam Evangelium,

[1]) Epist. ad Hesiod. [2]) S. Leo, Orat. in Con. Sen. electi in Eppum.

Digitized by Google

agamque, ut licet, virtute verbi, *quod penetrabilius est omni gladio ancipiti*[1]), nec desim unquam *instando, arguendo, obsecrando, increpando, in omni patientia et doctrina*[2]); ne ullis, in custodiendo sacro, manibus meis tradito thesauro, parcam vigiliis, ulli in praeliandis praeliis Domini, contentioni, ulli, in excolendo dominico agro, et custodiendo ovili, labori; ac sciam, si necessum fuerit, superimpendi etiam, pro salute eorum, quos coelestis Pater tradidit mihi. Video porro ad muneris mei partes pertinere, eum in dispensandis Beneficiis ecclesiasticis tenere modum, ut non respiciam in faciem hominis, nec quidquam praeter Ecclesiae utilitatem spectem; ut proinde dotes imprimis, quas poscit officium, tum exantlata merita, nullosque praeterea fines adtendam. Video me charitatem erga omnes, mansuetudinemque sectari debere, sed justo, ac necessario rigore temperatam. Qua quidem in re, eum me futurum polliceor, ut sciam compati infirmitati, fragilitatique humanae, ipse meorum mihi conscius peccatorum; sed ut, si malitiam, aut perversa subesse principia observavero, severitatem quoque noverim adhibere, et securim ad radicem admovere; nec in cujusquam gratiam velim committere, ut offendicula in fideli populo emergant, et, propter paucos degeneres, totum vituperetur sanctuarium Dei. Video vocationis esse meae, ut non quidem desim iis, quoad externam quoque vitae rationem, quae ad dignitatis Episcopalis tuitionem pertinent; ne, quod evenit quandoque, ob neglectum externi decoris, ipsum sacrum vilescat ministerium, et sinistra in clerum jactari contingat judicia: sed tamen, ut ea rerum temporalium praesidia, quae ab his remanserint, ex mente sacrorum Canonum aestimem; id vero est, spectem, ceu patrimonium pauperum, ut pretia peccatorum; neque ea alio, quam in eos, quos saluberrimos cognovero, Ecclesiae, et Patriae fines, inque mitigandam afflictorum calamitatem

[1]) Hebr. 4. [2]) 2. Timoth. 4.

Digitized by Google

studeam convertere. — Sed nil amplius de me ipso memorabo; id unum protestor: haec, quae adtuli, totidem esse, eaque firmissima proposita, facta antehac apud animum meum, et in conspectu ejus, qui corda scrutatur, et renes, hoc autem solemni momento, inque festivo hoc congressu Vestro, renovata: ne, si unquam philauciae studium, aut quaecunque sensuum lenocinia in contrarium me agere attentarent, quoquo modo amplius ab hac mihi praestituta agendorum norma possim declinare.

Ad Vos jam venio, Fratres dilectissimi, qui venerabile Ecclesiae meae Cathedralis Capitulum constituitis; cujus et ego nuper pars, ac, licet remote a Vobis agens, animo tamen et fraterno affectu, sic Vobis conjunctus fueram, ut in hoc praecipuum, nunc quoque, mihi statuam ornamentum, quod non ignotus, et extraneus, sed tamquam unus e Vobis, hoc subsellium conscendam. Vos semper et ubique, Vestram erga me voluntatem et fiduciam, postremo etiam observantiam, indubiis contestati estis documentis; Vos ego, vicissim, fraterna charitate, et brachiis dilectionis amplector, plene confidens: Vos aditum, quem amanter mihi aperuistis ad corda Vestra, nunquam obturaturos. In Vobis sacrum meum suspicio, semperque suspiciam senatum; eo institutum, ut amplioribus, res, ad regimen dioecesanum pertinentes, expenderentur consiliis. In Vobis praecipuos agnosco, ad sustinendum administrationis spiritualis onus, coadjutores; in Vobis vivos sanctuarii lapides. Obligationes Vobis incumbentes adeo Vobis sunt cognitae, tantoque ad has explendas, Vos video fervore animatos, ut non multa mihi hanc in rem, verba ad Vos facienda existimem. Scitis quam optime, in Vos praesertim esse fidelis populi, immo et dioecesani cleri oculos intentos: utpote, qui supra candelabrum propterea positi sitis, ut luceatis omnibus, qui in domo sunt. Merito itaque a Vobis, majorique jure deposci intelligitis, ut omni virtutum genere excellere, Christique bonus per omnia odor esse contendatis; ut assidua li-

Digitized by Google

terrarum cultura magnae memoriae, et illustris nominis, praecessores Vestros aemulemini: praesertim, cum in ea incideri-mus tempora, quibus pro muris Jerusalem, ii pene tantum cum effectu pervigilare possint, quos sacratiorum aeque, ac profanarum literarum praesidia exornant. Scitis unum e praecipuis muniis Vestris in eo consistere, ut divini cultus dignitati, jugiterque concinendis aeterni Patris laudibus intendatis; nec sciolorum hujus saeculi filiorum, haec pene ad adiaphora et superflua referentium, argutiis Vos confundi patiamini; probe memores: nusquam fructuosius insumi tempus, quam in servitio, et laudibus creatoris; his accendi ad pietatem hominum animos; his religionis spiritum ali, plusque exhinc in mortalium vera commoda dimanare utilitatis, quam ex multis mundi filiorum materialia lucra unice consectantium, sudoribus; qui eorum partus laboriosi, ceu vero illo, uniceque stabili rerum humanarum fundamento, pietate quippe, et timore Domini, destituti, tanto, saepe funestiori casu corruunt, quanto in altiores cumulos excreverunt. Scitis, Fratres dilectissimi, Vestrum esse, de gravissimis rebus promere mentem, justaque judicia judicare, Vestrum esse, secundum Deum, et ejus justitiam loqui, operari. Scitis, Vestrum cumprimis esse, veram ad invicem, et in omnibus tueri charitatem; nec unquam ab ea recedere: non enim ignoratis, quod *Deus charitas est, et, qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*[1]), quodve charitas *vinculum est perfectionis*[2]); immo *finis praecepti de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*[3]). Scitis denique, eum Vos temporalium utilitatum Vestrarum usum facere debere, ut ne livori quidem, qui nunquam suis Vos exercere cessabit aculeis, justae querelae ansam praebeatis; eum usum, ut partem in his capiant paupere-res, ac tanto lubentius concinant Vobiscum laudes Altissimi, quanto facilius aures Vestras penetrant fletus eorum, et

[1]) 1. Joan. 4. [2]) Coloss. 3. [3]) 1. Tim. 1.

Digitized by Google

singultus calamitosi; ut denique omnes convincantur, castissimis haec credita esse manibus, nec posse aliis salubrius collocari; quo solo pacto, credite mihi, possunt enervari, quae omni ex parte, temporibus nostris, in nos conjiciuntur iniquarum jacula cogitationum.

Haec potissimum ad Vos quoque adtinent, Insignis Capituli mei Collegiati Dignitarii et Canonici, qui vetustissima Instituti Vestri origine, exantlatis in cura animarum longis servitiis, collectisque eximiis meritis, omnem bonorum omnium Vobis emeriti estis venerationem, et, ut confido, exemplari vitae Vestrae conversatione, adcuratoque incumbentium Vobis munerum implemento, porro emereri haud intermittetis.

Ad Vos transgreditur oratio mea, Filii charissimi, qui in exercenda animarum cura desudatis, qui in Vestris quisque mapalibus, gregem dominicum pascitis, laboratores estis in vinea Dei Sabaoth. In Vobis, fateor, vim ego repono, summumque robur sacri exercitus. In Vestris potissimum manibus positas sortes fidelium, eorumque aeternam salutem, immo et temporaneam prosperitatem, a Vestra praecipue villicatione dependere existimo. Etenim Vos pene soli estis magistri, educatores populorum; Vos pene soli, jugiter, in medio ipsorum agitis; Vestra, e propinquo, opera vident, indeque actionum suarum normas desumunt; cultura mentis aeque, ac animi ipsorum, in Vestro potissimum est ore constituta. Nullum est, credite mihi, munus sublimius, nullum honorabilius, nullum salubrius isto Vestro munere pastorali, si illud digne, si solerter, si corde charitatis pleno administratis. Quid enimvero pulchrius, quid praestantius vel cogitari possit, quam homines sanctissimis religionis, et morum praeceptis ad ea, quae verae humanitatis sunt, informare; emollire animos; vitam, ad recti, honestique normam effingere; adesse consilio dubitantibus, consolari moestos, erigere adflictos, et onus, quod omnium quidem hominum, sed horum potis-

Digitized by Google

simum, ad graves labores a divina providentia destinatorum, humeris incubat, levius reddere, sicque eos conducere per vitae hujus varietates, ut feliciter ad patriam pertingant; in qua *non esurient, neque sitient amplius*[1]), sed *gaudium, et laetitiam obtinebunt, fugietque dolor et gemitus*[2])?

Porro eos ego animarum curatores, qui toto corde sunt, quod esse debent, quos ex asse expleti sui muneris recreat conscientia, etiamsi cum obicibus, cum molestiis, cum ipsa, quae plurimum dolet, ingratitudine, eis sit colluctandum, beatiores reputo, quam quosvis, felicissimos licet, parentes carnales. Ut adeo mundanis admodum oculis uti mihi persvadeam eos, qui cleri Catholici vices, caelibatus causa, dolendas esse arbitrantur; non intelligentes, istam demum probi animarum curatoris vitam, vitam esse patris vere felicis: utpote, qui non paucos mundo, in incertos eventus, sed centenos generet Ecclesiae filios, cives olim futuros sedium aeternarum.

Muneris Vestri partes, triplici, ut scitis, capite absolvuntur: doctrina, Sacramentorum administratione, vitae exemplo.

Vestrum imprimis est, Filii dilectissimi, Religionis et morum principia parvulorum animis, ceu lac doctrinae salutaris, instillare. Ego, cum omnibus, qui animum ad rem unquam attentius adverterunt, in hoc institutionis genere plurimum repositum esse, semper existimavi. Neque enim theoretica solum ratio, sed et experientia, optima illa rerum magistra, loquitur: teneris parvulorum mentibus, animisque impressas notiones, et sensiones, magis, quam quasvis alias, esse durabiles; nec facile eas eradicari posse, qualescunque subin, in adultiore aetate existant phases, qualiacunque in contrarium illicia. An non Salvatorem, prototypon nostrum, singulariter delectatum fuisse legimus parvulorum consortio?

[1]) Apob. 7. [2]) Isa. 35.

Digitized by Google

Sinite, inquit, parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire[1]). Hinc est, quod ego firmiter proposuerim apud animum meum, hanc pastoralis Vestri muneris partem peculiari prorsus prosequi attentione; nunquam destiturus, Vos commonere opportune, importune, hujus Vestrae sacrosanctae obligationis. Nolite autem existimare, rem omnem catecheticae institutionis eo absolvi, ut parvuli praecipuas sanctissimae Religionis nostrae veritates memoriae mandent, et sciant edisserere. Non est Religio res memoriae, sed omnium facultatum mentis, et cordis. Eo itaque est omnimode elaborandum, et hic labor, hoc opus, haec gloria est Curatoris animarum, ut saluberrimae Religionis, morumque veritates, intellectum quoque penetrent parvulorum, et iis corda tenerae istius aetatis ad amorem pietatis, et virtutis incendantur.

Ad Vestrum porro officium pertinet, solidiori doctrinae cibo reficere, jugiterque pascere adultos, et quidem privatim, in omni, quae se Vobis offert opportunitate, sed praesertim publice ex ambone. Ne credite, Filii charissimi, parvae difficultatis negotium esse, predicare ignorantibus. Multa opus est arte, ut sciat Evangelii praeco condescendere ad captum imbecillium; deligere ex sacris promptuariis, nova, et vetera, iis accomoda; sustinere attentionem ipsorum, quin paradoxa propinet; convincere, quin a sancta veritate unquam, vel latum unguem recedat; emollire denique ipsorum animos, vivosque, ad bene operandum, iis stimulos subjicere, quin superfluis, aut iniquis angoribus conscientias excruciet. Prudens, solersque agricola, non quid reddat, sed quid reddere possit ager? considerat; nec usquam dubitat, tanto magis sibi esse elaborandum, quanto rudius est, quod colit, solum, quanto frigidius, quanto horridum magis spinis, et tribulis. *De profectu Dominici gregis gloriatur cura Pastoris*[2]), Quamobrem excusari socordia sacrorum illorum Curionum non po-

[1]) Matth. 19. [2]) S. Leo. Serm. 2. in ann.

Digitized by Google

test, qui pridie, quam dicant ad concionem, aut paucis ante horis, obiter materiam, de qua tractare debeant, mente revolvunt, sicque, male praeparati, ambonem conscendunt, incoctos utique cibos famelicis propinaturi. Illos, illos ego muneri suo rite respondere judico, qui incessanter in hoc genere suum ingenium, omnesque suas vires exercent; qui fidelis sui populi captum, indigentias, jugiter ferunt in oculis, escam deligunt convenientem, hanc debite disponunt, apte condiunt; eoque toto suo conatu enituntur, ut verum existat sumentibus nutrimentum in vitam aeternam.

Aliud, non minus salutare Vestrum officium, Filii dilectissimi, consistit in dispensatione Sacramentorum, quae totidem sunt immensae erga nos divinae bonitatis scaturigines. Qui salubritatem divinorum horum institutorum, cum humanae naturae imbecillitate, et indigentiis, attentius combinaverit: vel sic, de Religionis nostrae divinitate convincatur, est necesse. Vix atque lucem hujus mundi conspicit humana creatura, jam benigna mater Ecclesia, suis eam excipit ulnis, regenerationis tingit lavacro, nomenque ejus inserens libro vitae, haeredem instaurat regni Dei, et Jesu Christi. Quum adolescens, sensuum agitari incipit illecebris, et mundi, carnisque subire cogitur pericula: Confirmationis sacramento eum praemunit; gratiam ei tribuens, ut decertare victoriosus possit, nec telis debeat succumbere nequissimi. Et, siquidem, per omnem vitam, innumera sint, quae hominem circumdant, pericula, isque facile deficere in via possit, nisi nutrimento valido sustentetur: pane eum pascit angelorum, distribuens singulis ad satietatem, quotiescunque ad Eucharisticam mensam puro cum corde voluerint accedere. Quodsi tamen, his etiam non obstantibus, a via deflexit salutis, quodsi vestem candidam, qua in fonte regenerationis fuit indutus, peccati coeno maculavit: ecce propinat alteram salutis tabulam in Poenitentiae Sacramento; ut corde contritus, non pereat; sed convertatur et vivat. Denique, ad extremum limitem ter-

Digitized by Google

restris hujus peregrinationis pertingentem, sacra reficit unctione, et, quem in nativitate materno sinu excepit, in omni vita amantissime fovit, aluit, in hujus limine non deserit, sed dirigit in viam; immo eum teneritudine sua, precibusque et suffragiis suis, ultra ipsum sepulchrum comitatur. Praeter autem haec, pro cunctis fidelibus praestituta, misericorditer prospexit Salvator noster, ut duobus, quae praecipua adsunt, humani generis propagandi instutis, suos etiam distinctos aperiret fontes gratiarum: pro generatione quippe spirituali alterum, sacrum nimirum Ordinem, ne unquam deessent doctores, et pastores, jugiter generaturi cives regno coelorum; alterum pro ipsa corporali generis nostri propagatione, Sacramentum nempe Matrimonii; ut et haec, ea, quae divinis legibus consona est, ratione fierit; nec deesset conjugibus gratia, caste et pie conversandi in hoc saeculo, ac sobolem in timore Domini educandi

Hi tam praeclari divinae erga nos miserationis thesauri, Vestris potissimum, Filii charissimi, creduntur manibus dispensandi. Ex ipso eorum summo, ad operandam hominum felicitatem momento, intelligitis, quanta cum diligentia, attentione, et devotione in his Vos versari oporteat? Ipsi, quaeso, aestimate, an non peccet quam gravissime in sanctam vocationem suam, qui haec obiter, cum renisu, aut profano quodam habitu tractat? Quid dicam de iis, qui coelestia haec dona, quocunque ex temporali obtutu, aut cujuscunque sibi illatae injuriae praetextu, differe praesumunt, aut denegare? aut qui sublime illud renovantes sacrificium, quod Redemptor noster in suo corpore et sanguine consecravit, immaculatam eam hostiam, indigna festinatione, dilacerant potius, quam offerunt? qui levitate, aut nimia in S. Tribunali indulgentiâ efficiunt, ut, quo nullum esse possit efficacius ad vitae sanctitatem remedium, ipsum saepe evadat peccati incitamentum? aut qui contaminatis sacrosancta haec charismata tractando manibus, eadem non modo optata ad virtutem efficacia exu-

Digitized by Google

unt, sed in vitiorum convertunt lenocinia, in scopulos, propriae non minus, ac aliorum salutis?

Tertium, quod Vobis incumbit, officii genus, et quod primo loco memorare debebam, est propriae vitae exemplum, quod quidem tanti est momenti, ut ipsum per se permultum operetur, sine hoc caetera pene irrita sint. *Nullum ego consilium melius arbitror*, dicit S. Gregorius [1]), *quam si exemplo tuum fratrem docere studeas, quae oporteat fieri, provocans eum ad meliora, et consulens ei, neque verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Item S. Leo [2]), *Validiora sunt exempla, quam verba, et plenius opere docetur, quam voce.* Vera haec sunt usque adeo, ut vix unquam aliquis, cujus acta contradicebant praedicationi, perfecerit, ne illa potius homines, quam hanc fuerint consectati.

Neque vero per vitae exemplum id solum intelligendum existimate, Filii dilectissimi, ut a crassioribus istis, statum sacerdotalem turpiter inquinantibus vitiis Vos abstineatis, sed ut cunctas virtutes in Vobis ipsis conspiciendas, et quasi manu palpandas exhibeatis; sicque omnem vitae Vestrae tenorem disponere contendatis, ut, nemini ullam dantes offensionem, quasi speculum efficiamini, in quo fideles christianae perfectionis placita, in carnem, ut ita dicam, et sanguinem conversa, possint intueri. Ipsi judicate, Filii dilectissimi, quem influxum in hominum animos exerere debeat, si ex ore quidem sacri sui curionis audiant divina illa Salvatoris verba [3]): *Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus; caetera adjicientur vobis*; sed ex operibus ejus videant manifeste, magis eidem cordi esse propria temporanea lucra, quam quaecunque fidelium spiritualia emolumenta? Ipsi judicate, an non merito vilipendatur curator animarum, qui loco ejus, ut assiduus sit in studiis literarum, cumprimis sacratiorum, quo possit rationem dare scientiae, et arguere, pro re nata, hos

[1]) Libr. 18. in Past. [2]) In serm. de jej. [3]) Mat. 6.

Digitized by Google

etiam, qui foris sunt; profanis se totum dicat negotiis? aut quod pejus adhuc est, conventiculis, saepe inconvenientibus, indulget? ut in vicem, quod reportare deberet, lucri animarum, proprii etiam quandoque corporis et valetudinis, subeat jacturam. An non merito omnium bonorum amittat aestimium sacer ille curio, qui moribus bardus, in conversatione durus, ipso externo, habitus, gestusque, decoro neglecto, repellit potius, quam adtrahit illam, sine qua operari cum fructu non potest, hominum erga se fiduciam, benevolentiam? An non merito adversa fidelium in se concitat studia, qui, posita omni mansuetudine, se tumidum exhibet et asperum, adeo, ut ipsius spiritualis opis expetendae causa, cum renisu et formidine a fidelibus accedatur? qui non charitate, sed stricti juris rigore cuncta prosequitur, ad eumque, demum, rem apicem perducit, ut flagellum, et insupportabile populi evadat onus; ipse, qui in patrem ei datus est; qui opere, consilio, omnique meliore modo sortem ejus reddere debebat tolerabiliorem?

Sed haec hactenus. Pertinent ea ad Vos omnes, qui cura animarum occupamini; etsi confidam in Domino, Vos ab his, quae postremo memoravi, abesse quam longissime. Eadem non minus, immo magis etiam ad Vos adtinent, qui Vice-Archi-Diaconorum munere ornati, caeteris praeestis non honore solum, sed et autoritate. Vos vice illorum fungimini, quos SS. Synodus Tridentina oculos compellat Episcoporum; a Vobis, quis negaverit cumprimis pendere: ut ne in curato clero emergant offendicula, ut munus pastorale debite, ordinate, atque fructuose exerceatur? Vos ego, si ad amussim, prudenter, zeloque fervido una, ac discreto, vicibus Vestris defungimini, duplici honore dignos semper reputabo, peculiarique paterno affectu fovere haud unquam sum intermissurus.

Sed Vos quoque, qui educandae, ac instituendae juventuti, sacrae cumprimis, praeestis, Filii dilectissimi, quae de

Digitized by Google

curatoribus animarum memoravi, pariter concernunt; immo potiori jure propterea, quod Vobis ii, qui distinctiores sunt in populo, atque adeo ipsi doctores et pastores aliquando futuri sunt, efformandi credantur. Post gratiam Dei, quae operatur omne bonum, a Vobis potissimum spes futurae generationis dependent: in Vestris etenim manibus positae sunt mentes, cordaque adolescentum, in utriusque rei publicae columnas, in sanctuarii fulcra destinatorum. Tenerae hae plantae excrescent in arbores; ac talem ferent fructum, qualem a Vobis impulsum, et culturam receperint. Nolim ecquidem dubitare, Vos et hactenus officiis Vestris debite functos esse: Vobis attamen affirmo, me, dum vitae hujus usura, dono supremi numinis mihi obtigerit, in eo solerter evigilaturum, ut ne quidquam eorum, quae ad curatissimum gravis adeo muneris Vestri implementum pertinent, a Vobis desiderari patiamini.

Cum solatio Vos intueor, Viri Religiosi, qui abrenunciantes mundo, in sanctam adunati estis consociationem, ut et propriam Vestram salutem tutius operari, et ad operandam aliorum, exemplo, precibus, labore, concurrere possitis. Insipiens aetatis nostrae sapientia, adsveta cuncta ad lucra exigere materialium emolumentorum, summum, quod Institutis Vestris inest ad hominum utilitatem, momentum, non videt: exempla videlicet piae istius resignationis, abnegationis sui, vivaeque in Deum pietatis: non videt, et non perspicit, quod si cuncta heroicae virtutis, et sublimioris vitae documenta aboleantur: humanum genus magis, magisque iis, quae ad vitam spiritualem adtinent, exui, et penitus in corporalium rerum, ac omnis caducitatis pelagum demergi oporteat; ex quo aegre amplius possit vel oculos in coelum adtollere. Sed videlicet, *non novit Vos mundus, quia non novit Patrem*[1]). Attamen nolite conturbari: ecce Redemptorem nostrum, *prio-*

[1]) 1. Joan. 3.

Digitized by Google

rem odio habuit[1]). Et ipse dixit: *quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*[2]). Nolite conturbari: *ecce enim mundus transit, et concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum*[3]). Nolite conturbari: namque, si vere ambulatis in vocatione Vestra, *pax Dei exultat in cordibus vestris, in qua vocati estis in uno corpore*[4]), *pax enim multa diligentibus legem ejus*[5]). Et haec illa pax est, quam dare mundus non potest; sed et haec illa pax est, quam tollere mundus non potest, et *quae exsuperat omnem sensum*[6]). Caetera, affirmo Vobis, quoadusque ambulaveritis per vias Domini rectas, reddideritis vota, quae vovistis Altissimo; quoadusque vivae fidei, infucatae pietatis, verae humilitatis, ardentis erga proximum charitatis paradigmata Vos praebueritis, ipse mundus reddet testimonium spiritui Vestro: vera etenim virtus tantum splendoris habet, ut penetret oculos etiam nequam, et obturatos. Denique injurius sit, qui Vestra, quae in subsidium curae animarum partim, partim in succrescentis pubis institutionem, partim in fovendos aegros, partim denique, ipsi pauperes, in alendos miseros, exantlastis, nunc quoque exantlare pergitis, merita, velit inficiari. Haec porro agite, huc enitamini, in his fortes estote; haec bonorum Vobis conciliabunt corda, haec scribentur in libro vitae; tantoque cumulatiorem remunerationis Vobis, olim, adferent mensuram, quanto pluribus juncta fuerint sacrificiis, quanto multiplicius ingratitudinis labe adspersa.

Dum Vos, qui in Seminario Cleri, tyrocinio ecclesiasticae vitae operam navatis, Filioli charissimi, adspicio: tanta obversantur menti meae; ut videam, me non posse, nedum cuncta eloqui, sed vix praecipua attingere. Video ego, penitusque intelligo, quantum ad Ecclesiae sanctae, populique

---

[1]) Joan. 15. [2]) Ibid. [3]) 1. Joan. 2. [4]) Coloss. 3. [5]) Psalm. 118. [6]) Philipp. 4.

Digitized by Google

Dei prosperitatem intersit: ut Vos in spiritu aeque, ac literis debite formemini? Quippe a Vestro, in virtute, et scientia progressu, potissimum pendet: num pastores, num mercenarii sint ovilibus Domini obventuri? num apti, solertes, prudentes operarii mittendi in vineam coelestis patris familias; vel inepti, segnes, insipientes? Hac convictione animatus, unam e praecipuis mearum curarum partibus, Vobis consecratum iri, velim, existimetis. Enitar vero imprimis eo, ut ne vel unus irrepat in sacrum hoc plantarium, quem non deducendi aliquando homines in via virtutis et veritatis, sed aliud, quodcunque demum illud sit, motivum impellit; ut porro ne uni quidem Vestrum, manus imponam, quem, quoad penetrare potest acies humani oculi, non perspexero, satis in virtute firmatum, atque sic animo comparatum esse, ut cum veritate dicere possit: *Dominus, pars haereditatis meae, et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi*[1]). Jugiter enim insidet auribus meis illud S. Leonis[2]): *In vinea Domini Sabaoth sic novorum palmitum plantatio sarcienda est, ut purgetur execratio vetustatis;* item[3]): *Sicut boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo sacerdote judicium: ita gravi semet ipsum afficit damno, qui ad suae dignitatis collegium sublimat indignum.* Enitar item omni conatu, ut, in quo summa rei est, accendatur in cordibus Vestris, ignis divini amoris, et flamma aeternae charitatis; qua aestuantes, illuminare olim, et calefacere possitis caecutientes, et frigidos. Sed enitar etiam, ut mentes Vestrae necessariis, ad praeclarum, cui destinamini, opus, instruantur praesidiis: ne coecos aliquando Vos, coecis praestare ducatum, sicque ambos in foveam cadere contingat. Nunc id solum Vobis ingemino: agite, Filioli, contendite, ut certam faciatis vocationem Vestram. Examinate cor Vestrum, et si

[1]) Psalm. 15. [2]) Orat. in Ord. Presb. [3]) S. Leo in Epist. ad Epp. Maur. C. 2.

Digitized by Google

illic non ardet flamma divina; id vero est, si observatis Vos non esse sic animo dispositos, ut sordescant Vobis, quae hujus mundi sunt; sic dispositos, ut nonnisi saluti proximi vivere gestiatis, propter eum, qui redemit nos: retrahite manum ab aratro, recedite, dum adhuc tempus est, ne vasa sanctificationis contaminentur halitu Vestro, ad propriam Vestram, aliorumque ruinam. Sin vero persentiscitis in pectore Vestro radium hunc Spiritus sancti: eo omnes conatus Vestros impendite, ut multiplicentur in Vobis pietas, religionis ardor, intemerata vitae puritas, mansvetudo, charitas, cunctaque bona charismata Dei. *Corpus et animam*, ut verbis Vos alloquar S. Chrysostomi [1]), *ornate virtutis ornamento*, *justitiae arma*, *sed non arma peccati*, *corporis vestri membra exhibentes; et ante omnia lingvam*, *ut sit spiritualis gratiae ministra*, *instruite*. Literas, has praesertim, quae rectam Vos doceant coelestium donorum dispensationem, adamate: inescati hac dulcedine, non modo successum in laboribus Vestris, honorem, et aestimium omnium, sed et efficacissimum Vobis consciscetis antidotum, adversus praesentes, ac futuras tentationes ad levia, inania, perversa; adversus cuncta, quae pretiosum tempus sine fructu conterunt, quae Vobis, Vestraeque olim curae credendis, noxia esse possunt, et pernitiosa.

Sed haec Vobis, qui per diversos gradus sacrae adscripti estis militiae, ad quos utique solemni hoc die potissimum dirigenda fuit oratio mea, sufficiant, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi!

Vos jam alloqui deberem, Viri honoratissimi, Vos, omnis dignitatis, status, aetatis, Filii charissimi, Vos, populo sancte Dei, quem a Principe Pastorum in sacram indeptus sum haereditatem. Sed vero Vos caeteroquin scopus estis contentionis nostrae; Vos finis, in quem tendit operatio nostra.

[1]) Hom. 4. ad pop. Ath.

Digitized by Google

Omnis, quam divina clementia nefors mihi concessura est, residua mea vita; omnia, omnium nostrum, Evangelii ministerio adstrictorum, studia eo utique dirigi debent: ut Vos pascamus pane coelesti, nostris tradito manibus; Vobis consilio, verbo, et opere assistamus in iis, quae sunt aeternae salutis; idque ad exinanitionem usque nostram. In praesentia pauca ex multis, quae dicenda forent, memorabo.

Vobis imprimis, qui publicorum munerum dignitate, natalium splendore, magistratuum auctoritate eminetis, Viri ornatissimi, meo, totiusque, meae curae crediti sacerdotalis hujus Ordinis, nomine recipio, quod nos eo Vos semper aestimio, honore prosecuturi simus, quem sibi vindicat gradus, in quo divina Vos locavit providentia; providentia, *quae attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*[1]); recipio, quod non modo non ipsi haec erga Vos sensa, semper foturi, et testaturi, sed et fideles populos, a Patre coelesti nobis commissos, ad omnem Vobis reverentiam, obedientiamque exhibendam cohortaturi simus; memores praecepti sacrosanctae religionis nostrae: Subjecti estote non solum *Regi, quasi praecellenti, sed et ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*[2]); neque solum *propter iram, sed et propter conscientiam*[3]). Vos vicissim sic usuros potestate, graduque Vestro confidimus, ut jugiter recordemini: quia *Dominus interrogabit opera Vestra, et cogitationes scrutabitur*[4]). Confidimus, quod et Vos adfuturi sitis, auctoritate Vestra, bonis intentionibus nostris. Quippe confiteri quidem non ambigimus, finem nostrum diversum esse ab eo, qui Vobis est praestitutus; noster enim, aeternam spectat felicitatem; Vester, securitatem in hac vita, et temporaneam prosperitatem: tamen, credite mihi, adeo arcta haec, ad invicem necessitudine junguntur: ut citra cooperationem nostram, faustos Vobis polliceri haud

[1]) Sap. 8. [2]) 1. Petr. 2. [3]) Rom. 13. [4]) Sap. 6

Digitized by Google

possitis successus; credite, quod illud demum regnum pleno gaudeat robore, in quo sacra, ac profana auctoritas, junctis viribus, purissimaque intentione, ad propositam operandae humanae felicitatis metam progreditur.

Denique Vos omnes, populе acquisitionis, genus electum, gens sancta, pretiosissimo Christi sangvine redempta, id unum praecipue in hoc mei muneris aditu, oro, atque obsecro, ut custodiatis, quod accepistis per manus patrum Vestrorum, depositum fidei. Non sum ego, Filii dilectissimi, ex numero eorum, qui cuncta praesentia atris videant illita coloribus, nec laudent nisi vetusta, praesentia vituperent: scio etenim, quod omnis aetas suas habeat virtutes, sua vitia. Tamen ingentem illam, praeterita inter tempora, et haec, in quae incidimus, video disparitatem, quod illic, in summa etiam morum dissolutione, et barbarie, ipsum virtutis fundamentum, fides quippe, et religio, inconcussa permanserint; hac vero aetate nostra, mitiores licet sint hominum mores, basis tamen ipsa probitatis, exquisitissimis quibusvis armis impetatur: quippe fides christiana. Et vero, ubi haec semel radices egit incredulitatis pestis; ubi vitium, quod indifferentismum placuit compellare, adolevit: actum illic est de vera hominum felicitate. Quidquid enim videatur sapientiae hujus saeculi, haec sola fides est divinum illud pharmacum, de coelo delapsum, quo curandae sunt humanarum mentium infirmitates; *non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*[1]*;* haec est illa aenea statua, cujus aspectus solus sanare possit eos, qui aspidum saeculi hujus morsibus sunt coinquinati. Itaque custodite sacrum hoc palladium: *credite in lucem, ut filii lucis sitis*[2]*), credite in Domino Deo vestro, et securi eritis*[3]*) curam omnem subinferentes, ministrate in fide Vestra virtutem*[4]*).* Terra, quam incolitis, sancta est; christianae veritatis luce, inde ab Apostolo-

[1]) Act. Apost. 4. [2]) Joan. 12. [3]) 1. Paral. 20. [4]) 2. Petr. 1.

Digitized by Google

rum temporibus, irradiata; primis jam Ecclesiae saeculis, S. Quirini martyrio censecrata. Quo magis in spem dulce merigor: Vos non degeneres patrum Vestrorum filios futuros, tantoque firmius vestigiis eorum instituros: quanto ampliora his quoque posterioribus temporibus, pietatis, moderationis, et sapientiae, vel per id edidistis specimina, quod novarum rerum moliendarum illecebris, istique cuncta, quae bono loco posita sunt, subvertendi studio, torrentis instar, hac aetate hominum ingenia agitanti, aditum ad mentes, ad corda Vestra, haud unquam concedendum existimaverit.

* * *

Et haec sunt, quae solemni hoc momento, quo Dioecesis divinitus mihi creditae, gubernacula capesso, Vobis, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, ceu primis lineis adumbratam, cogitationum, consiliorumque meorum, ac finis, et obligationum Vestrarum imaginem, proponenda constitui. Quod si haec, ut confido in Domino, accessum invenerint ad corda Vestra: spes est, ut beata vivamus tempora, ut adspirante divina gratia, *omnis aedificatio constructa crescat in templum sanctum in Domino, in quo et Vos coaedificemini in tabernaculum Dei, in spiritu sancto*[1]); spes est, *ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes*[2]), ut *providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*[3]) *unusquisque Vestrum proximo suo placeat in bonum ad aedificationem*[4]); spes denique est, ut *impleat* Dominus *omnem voluntatem bonitatis suae* in Vobis, *et opus fidei in virtute, ut glorificetur nomen Jesu Christi in Vobis, et Vos in illo, secundum gratiam Dei nostri, et Domini Jesu Christi*[5]).

[1]) Eph. 2. [2]) Coloss. 1. [3]) Rom. 12. [4]) Rom. 15. [5]) 2. Thess. 1.

Digitized by Google

Caeterum nil opto vehementius, quam ut tota ratio hodiernae celebritatis ad laudem sui referatur auctoris. Quamobrem a Vobis majorem in modum peto: ut quidquid in me hodie, sive dignatione fratrum, sive pietate filiorum, detulistis officii, id devotis ad eum mentibus dirigatis, qui totius firmitas est fundamenti. Quantum ad me, qui a quinquennio arctiori jam Vobis jungebar necessitudine; Vos oro atque obtestor: me plane ut Vestrum, eumque considerate, qui patriam Vestram meam patriam reputem; qui genio, corde, omni denique ratione Vester sim; qui Vos sic diligam in visceribus Jesu Christi, ut nil dehinc mihi agendum existimem, quam inservire Vestrae saluti; ut, ubi ex mortali hac vita ad aeternitatem migrandum mihi fuerit, me dulcis illa comitetur persvasio: custodisse me in Vobis depositum sanctum Dei, praestitisse, quod pro tenuitate virium praestare potui, in bonum Ecclesiae, in commodum dulcis Patriae; ut denique ea mecum aliquando ad sempiternas sedes vadat convictio: non defuturos in Vobis, qui me piis votis ad tribunal aeterni judicis comitentur.

Introibo nunc ad altare Dei, et sacrificabo Domino hostiam laudis, qui, ut mirabilem faceret gratiam suam, in eum munera sua contulit, in quo meritorum suffragia non invenit. Invocata intercessione beatissimae Dei genitricis, Virginis Mariae, Sanctorum item Regum, Stephani, et Ladislai, Dioecesis hujus tutelarium, clamabo, et dicam: Domine, rex coeli et terrae, qui fecisti mihi magna, comple in me, servo Tuo, ministerii Tui summam; et quem indignum ornamentis totius glorificationis instruxisti, coelestis unguenti rore sanctifica. Deus misericordiarum, ministerii mei tempora benignus adspice; illumina mentem meam, *da mihi sedium Tuarum assistricem, sapientiam, mitte illam de coelis Sanctis Tuis, et a sede magnitudinis Tuae, ut mecum sit, et mecum laboret,*

Digitized by Google

ut sciam, quid acceptum sit apud Te[1]). Accende cor meum, ut charitas Tua in eo diffusa sit semper, per Spiritum sanctum, qui datus est mihi. Domine rex coelestis, qui dedisti mihi velle, da, secundum immensam bonitatem Tuam, etiam perficere, quae sunt ad gloriam sancti nominis Tui. Pater sancte! serva eos, quos dedisti mihi pascendos in via sempiternae salutis; sanctifica eos in veritate, ut vitam habeant, et abundantius habeant, ut dilectio, qua dilexisti eos, sit in eis; ut veritatem facientes, crescant in illo, et per omnia, qui est caput, Christus; serva eos, nec permitte quemquam perire, sed concede, secundum infinitum bonitatis Tuae thesaurum, ut omnes insimul videamus, olim, claritatem Tuam, exultemus, et laetemur in salutari Tuo. Amen!

[1]) Sap. 9.

Digitized by Google

LITTERAE PASTORALES

INGRUENTE QUADRAGESIMA ANNI 1838 DIMISSAE.

GEORGIUS etc.

Venerabilibus Fratribus, Filiisque dilectissimis, universo Clero Diœcesis Nostrae salutem in Domino sempiternam!

Imminet nobis e propinquo jejunium majus, a temporibus Apostolicis, successione perpetua in nos devolutum, quod passim quadragesimale nuncupamus. In constabiliendo, conservandoque hoc instituto respexit indubie sancta Mater Ecclesia ad exempla virorum, spiritu Dei exuberantium, sed vel maxime ad exemplum ipsius divini Magistri, et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui antequam praedicationis munus occiperet, quadraginta dies, noctesque jejunio consecravit. Respexit porro ad humanae naturae imbecillitatem, quae non potest in via virtutis persistere, nedum proficere, nisi jugiter refrenandis sensuum illecebris occupemur. Quippe ipsa virtus in assidua, felicique adversus eam, quae est in membris nostris legem, decertatione et lucta consistit. Imprimis itaque naturae humanae conveniens, summumque sapientiae divinae, Ecclesiam gubernantis, indicium est, quod haec, ceu benigna mater, proles suas, certis temporibus, ab iis etiam, quae secus haud sunt illicita, jubeat abstinere: ut eae, utilibus experimentis institutae, et in reportanda super sensuum

Digitized by Google

concupiscentiis victoria enutritae, exercitataeque, feliciori successu adversus tela iniquissimi, valeant depugnare. „*Semper virtuti,* dicit S. Leo Papa in Serm. de jejun. dec. mens. *cibus jejunium fuit, de abstinentia quoque prodeunt castae cogitationes, rationabiles virtutes, salubria consilia, et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, et virtutibus Spiritus innovatur.*“ Item S. Augustinus in Serm. de jejun. „*Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores exstingvit, castitatis vero lumen accendit.*“

Porro ipsius corporis rationibus multum convenire facile prudens quisque confitebitur, ut quandoque, seu minus, quam ad plenam satietatem requiritur cibi ingeratur, quod jejunium dicimus, seu alimentum ad nonnulla genera, caeteris minus appeti solita, minusque nutrientia restringatur, in quo abstinentiam agnoscimus; ut adeo longe major morborum pars ex abundantia, quam defectu nutrimenti progerminet; verissimeque Ecclesia sancta Catholica jejunia medicinalia appellet, et corporibus quoque medendis salubriter instituta. Nec minus sapienter advertit S. Hieronymus in quadam Epistola sua, quod *mater sanitatis est abstinentia.* Ex hinc una manifestum fit, quam parum solido insistant fundamento ea rationum momenta, quae ex obtutibus conservandae valetudinis, in obversum sanctae hujus disciplinae passim allegantur. Et certe experientia docet, non solum Religiosos, et Eremicolas, toto vitae tempore a carnium eduliis abstinentes, sed et integros populos, raro carnalibus obsoniis utentes, et magis prospera valetudine perfrui, et vitam in ampliorem senectam producere; ut quidem hunc erga abstinentiam, jejuniumque ecclesiasticum renisum, qui hac potissimum aetate nostra tantopere invalescit, praepostero saeculi genio esse adscribendum, magnaque sua parte non esse aliud, elucescat, quam excusationes excusationum in peccatis. *Pudet dicere* ajebat jam S. Ambrosius

Digitized by Google

in Serm. quadrag. „*Senes et aniculae quadragesimam faciunt, divites, juvenesque non faciunt.*“

Sed vero, quo vehementior est saeculi adversus vetustissimam hanc disciplinam nisus: hoc elaborandum nobis, Pastoribus animarum, est sollicitius, ut ne saluberrima haec Ecclesiae institutio magis adhuc intercidat, ac pene evilescat; probe persvasis, quod si fideles haec, similiaque, sapientissima sane benignae Matris praecepta vilipenderint, homines profundius adhuc in rerum terrenarum appetitum se praecipitaturi, ac pietatis, et christianae morum puritatis thesauros temere sint repudiaturi.

Itaque praeter propria exempla, quae plurimum utique habent ponderis, instituendi per nos sunt fideles, curae nostrae crediti, de origine, natura, sanctitate hujus disciplinae, ac summo ejus ad pietatem, et virtutem momento; edocendi, ac ad observandum, quod christiani populi, lapsu saeculorum, tantoque olim cum rigore tuebantur, praeceptum, omni meliori modo, privatim et publice exstimulandi. Qua in re non est unquam negligendum, scopum, naturamque jejunii, et abstinentiae ob oculos ponere fidelium: videlicet eo tendere totum hoc institutum, quemadmodum palam in suis orationibus profitetur Ecclesia, ut qui per abstinentiam maceramur in corpore, per fructum boni operis reficiamur in mente, et ut familia christiana, quae se, affligendo carnem, ab alimentis abstinet, sectando justitiam, a culpa jejunet. Inculcandum denique, quod, quemadmodum ait S. Leo Papa de jej. sept. mens. *non in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, quodve, haud fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur, et ab obtrectationibus lingva cohibeatur; quod secundum S. Gregorium* in Hex. *ille* demum *bene jejunat, qui alimenta corporis, quae sunt communia dona conditoris, cum indigentibus percipit, et qui ea, quae sibi ad tempus subtrahit, nequaquam ventri offerenda custodit, sed pauperibus tribuit.*

Digitized by Google

Quamvis autem optandum summopere sit, ut quo vehementior existat fidelium in observando jejunio, abstinentiaque quadragesimali fervor; quia tamen ea vivimus tempora, quibus sperari non potest, cunctos in pleno disciplinae hujus rigore perstituros, et partim conscientiis quorundam consulendum, partim publica, quoad fieri potest, offendicula declinanda sunt: ultra facultatem pro tempore mediae Quadragesimae dispensandi antehac concessam, per Nos quoque nuper confirmatam, Vice-Archi-Diaconis, Parochis, immo et Confessariis, legitima jurisdictione provisis, indulgemus in Domino, ut cum fidelibus utriusque sexus parochianis, vel poenitentibus suis, valetudinis, aut alias fundatas rationes assignantibus, amplioris etiam in abstinentia quadragesimali Dispensationis gratiam, nomine Nostro impertiri queant; sic attamen, ut, nisi positiva obstet medici ordinatio, singulis hebdomadibus tres dies, quippe Mercurii, Veneris, et Sabbati, postremi item quinque dies hebdomadae sanctae omnem in casum maneant exempti, et abstinentiae, jejuniique praecepto obnoxii, atque iis, qui idgenus dispensationis gratia usi fuerint, nonnulla, quantumvis exilia, faciliaque orationis, eleemosynae, aut aliorum piorum operum injungantur exercitia.

Ecclesiastici, et Religiosi, qui ex fundatis, gravibusque rationum momentis, ipsi dispensatione aliqua uti desiderarent, praevium ad Nos recursum habebunt instituendum.

Caetera, Fratres, Filiique dilectissimi! sic in omni hoc negotio versari contendite, ut ad manutenendam hanc sanctam Ecclesiae disciplinam, nullis omnino aliis, quam spiritualibus, quae proprie arma nostra sunt, mediis, ac his quoque absque amaritudine, et omni cum discretione, concessaque Vobis dispensandi potestate, in aedificationem, et non in destructionem Corporis Christi utendum Vobis esse arbitremini; ad quod paternam Nostram benedictionem peramanter totoque cordis affectu Vobis impertimur. Datum Zagrabiae in solita Residentia Nostra Episcopali die 4. Februarii 1838.

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUOAD CATECHETICAM JUVENTUTIS INSTITUTIONEM DE ANNO 1838.

GEORGIUS etc.

Venerabilibus Fratribus, Filiisque dilectissimis, universo Clero Diœcesis Nostræ, salutem in Domino sempiternam!

Quod provida Antecessorum Nostrorum sollicitudine factum, inter statuta dioecesana relatum, atque laudabili sacrorum Curionum, vocationis suae sanctitatem in corde suo persentiscentium, labore, studioque, cum centuplo foenore exercitum, sed pluribus in locis, posterioribus his temporibus, aut remissius actum, aut plane intermissum fide digne cognovimus; id Vobis dilectissimi Filii! quos in partem sollicitudinis Nostrae pastoralis vocatos accepimus, Nostrae vocis ministerio annunciamus, proque sacri muneris Nostri obligamine, praesentibus in Domino injungimus. —

Scilicet, quemadmodum parte ab una, oves pastorali Vestrae curae concreditas, solidiore coelestium veritatum pabulo, per Vos nutriri, et salientibus aquis in vitam aeternam refocillari persvademur cum solatio: ita parte ab altera, anxia conficimur sollicitudine ex eo quod teneriora, et ob defectum plenitudinis aetatis, imbecilliora' Corporis Christi membra, in via mandatorum Domini, non ubique satis instrui, dirigi, et exercitari animadvertamus,

Digitized by Google

Vix quispiam Vestrum inficias ibit: corda parvulorum humanae concupiscentiae nondum tentata assultibus, illud incorruptum innocentiae germen continere, quod debite cultum, amabilissimam coelestium virtutum spargit fragrantiam; unde factum convincimur: quod sacra, ac profana potestas, in religiosa juventutis educatione, et moralitatis validissimum praesidium, et rerum publicarum securissimum incolumitatis fulcrum, verbo: salutem suam quaesierit, ac quaesitam invenerit. Certe animarum Curator, vix aliquid praestabilius facere potest, quam parvulorum animas, omni cum sedulitate excolere; ut enim spes bonae messis pendet a semine: ita sanctificatio hominis, a primitiva institutione; nam cereis tenerae aetatis cordibus forma sanctimoniae facillime imprimitur. Catechetica parvulorum, in rebus fidei, morumque informatio, praeterquam quod subin efferentibus sese cupiditatibus frena injiciat, captivat intellectum in obsequium fidei serenat mentem, genuinis virtutis, et sanctae religionis conceptibus locupletat, cor ad coelestia desideria elevat, ac in via mandatorum Domini currentes, dirigit, et confortat. — Quid quod juventus in laetas Patriae spes succrescens, antequam inter multiplices mundanae vitae varietates, vires suas exerere occipiat, tempestive instrui debeat in iis, quae eidem, diversarum correlationum obtutu, indispensabiliter necessaria esse dignoscuntur; quae certe nec securius, nec aptius aliunde desumi possunt, quam ex abundantissimo religionis promptuario, ex sacrosanctis Jesu Christi Evangeliis. — Et sicut est parte ab una verissimum: quod catechetica parvulorum institutio, dummodo in vano labiorum motu, ac inani mechanismo non reponatur, corda parvulorum instar terrae bonae praeparet, ut jaciendam subin uberiorem sacri verbi sementem facile recipiant, ac in pulcherrimos virtutum fructus crescere faciant; ita parte ab altera exploratum manet: semen verbi Dei, si in corda adultiorum, velut in terram indebite subactam ceciderit, nec germinare; et si germinaverit, vix

Digitized by Google

natum arescere; quia radices ejus nullam habent consistentiam: projectum est enim super petram, et aruit. — In cujus veritatis robur, Vos, zelosi animarum Curatores optimum praebere potestis testimonium. Quando etenim cum gaudio animarum Vestrarum vidistis portionem aliquam Dominici gregis, quae sancta, quae honesta, quae pudica sunt, quae aeternum gloriae pondus operantur, sectari; ac ita justitias Domini sancte custodire? quando optabilia illa moralitatis in populo incrementa, quae Vobis puros spiritualis laetitiae fontes aperuere, observastis? nonne dum indefessa praecessit juventutis in placitis sanctae doctrinae institutio? non ne hos laborum Vestrorum fructus non aliae tulerunt plantulae, quam quarum tenerum germen sollicite olim fovistis, nutrivistis?

Videtis Filii dilectissimi! parvulis frangendum esse panem, ut in doctrina salutis convalescant, lac fidei et doctrinae iis propinandum, ut fortem aliquando cibum sustineant. Hic sane est labor, qui fert fructum multum, qui virtuti solidam basim suppeditat, et per hoc temporali non minus, ac aeternae saluti populorum egregie consulit, pastoralis officii onus delectabile reddit, animumque sacri Curionis dulci illa fiducia perfundit, fore: ut id, quod seminaverat in humilitate, metat in exultatione.

Hinc est, quod quemadmodum ad exordium pastoralis Nostri muneris annuntiavimus Vobis, Nos hanc vocationis Vestrae partem peculiari attentione prosecuturos; sic ad obtinendum uberiorem operationis Vestrae fructum, magis determinatam institutionis catecheticae, cumprimis, diebus Dominicis et festivis, providis Antecessorum Nostrorum constitutionibus praescriptae, sed iniquitate temporum multis in locis, aut penitus intermissae, aut perfunctorie omnino, et inordinate asservatae, normam, vigore harum, Vobis praescribendam in Domino judicaverimus. Videlicet volumus, ac in virtute sanctae, et salutaris obedientiae praecipimus:

Digitized by Google

1mo.

Ut in singulis Dioeceseos, civitatum, oppidorum, et pagorum Ecclesiis parochialibus, quibusvis Domini, et festis diebus inomisse, in filialibus vero possessionibus, Ecclesiis, vel Capellis instructis, bis adminus per singulos menses, catechetica institutio asservetur; ac in quantum haec ob rationabiles aliquas causas, in ipsa Ecclesia servari non posset, in propriis sacrorum Curionum, aut honoratiorum parochianorum domibus instituatur; et quidem hora pomeridiana media tertia, nisi prisca consvetudo vel peculiaria locorum adjuncta aliam horam deposcerent; in remotioribus vero a Parochiis possessionibus, tempore, quod parocho pro rerum adjunctis, et fidelium commodo, maxime expediens videbitur. Post omnem autem similem institutionem, cultus pomeridianus communis publicus in Ecclesia convenienter servetur.

2do.

Omnes Catechesibus frequentandis idoneae proles conscribantur, et desuper ordinatum a statu animarum distinctum protocollum, secundum in fine adjectum exemplar, observata possessionum serie, adornetur, ac debite ducatur, Visitatoribus suo tempore exhibendum.

3tio.

Solertissime invigilabunt Catechetae, ut cunctae ad institutiones frequentandas obligatae proles, reapse, ac diligenter iisdem intersint; et quas negligentes observaverint, primum quidem cohortationibus, admonitionibusque tum ipsarum prolium, tum parentum, aut eorum, ad quos illarum cura pertinet, adstringere; ac his non proficientibus, implorata etiam publicorum, ac dominalium officialium, denique ipsarum Jurisdictionum, ac Consistorii Nostri dioecesani auctoritate medelam malo adferre omnimode connitentur. Evi-

Digitized by Google

gilabunt in civitatibus quidem et oppidis, ne tyrones opificum in frequentandis institutionibus his negligentes, in obversum positivorum altissimorum ordinum, in sodales elibertentur; in pagis vero, ne proles, Domini, festisque diebus, ad pascua mittantur, ac sic salutari hac institutione frustrentur, ipsum quoque sacrosanctum Missae sacrificium negligant.

4to.

Catechesibus his, ubi duo sunt Ecclesiastici, in quantum per officii partes licet, ambo; ubi autem sunt plures, quo licet majori numero, interesse contendant; multum enim talis Curatorum praesentia, ad conservandum ordinem, attentionemque in prolibus fovendam conferre solet

5to.

Institutiones hae serventur ab ara, quae in Ecclesia huic fini, quod parvuli circa eam commodius congregari possint, ac secus etiam aptissima censetur. Pueri autem a puellabus separandi, ac ita collocandi sunt: ut minores praecedant, hos vero, majores gradatim sequantur.

6to.

Praemittatur semper cantilena de Spiritu Sancto, aut vero pium de eodem suspirium, ut in libro doctrinae christianae anno 1804 per piae memoriae Praesulem Maximilianum praescripto, continetur. Finita vero Catechesi, orationes eodem libro comprehensae, cum prolibus, clara, et distincta voce, absolvantur.

7mo.

Ut institutiones hae felicem effectum nanciscantur, Curatores animarum ad easdem servandas sufficienti scientia, charitate, patientia, eoque pastorali zelo, qui in hac quoque Dioecesi jam ab olim laudabatur, et nunc quoque apud prae-

Digitized by Google

claros Parochos, Cooperatoresque observatur, instructi accedant; ac regulas, quae per probatos pastoralis disciplinae professores in rem praescribuntur, quasve zelosi Curati sequi solent, tempestive sibi proprias reddere adnitantur.

8vo.

Pro fundamento coordinandarum Catechesium memoratus doctrinae christianae libellus, cum fructu praesentia usque tempora adhibitus, inserviat; et pro uberiore capitum illic contentorum illustratione, Catechismus per SS. Concilium Tridentinum praescriptus, ac alter sic dictus Catechismus major, pro toto Regno Hungariae, adnexisque Partibus, anno adhuc 1779 destinatus adhibeatur, ac ad recentiorum quoque probatorum catholicorum auctorum eximia in hoc genere opera recurratur.

9no.

Tota saepius laudato libello dioecesano in 124 quaestionibus, novem vero capitibus, et una appendice, proposita doctrina, quam opportunissime in 52 sectiones subdividetur ita: ut singulis per annum Dominicis, singulae sectiones obtingant; et quidem serie sequenti:

Sectione 1-a pertractabuntur quaestiones 1-a, 2-a, 3-a et 4-a.
— 2-a praemissa quaestione 5. proponetur primus fidei articulus.
Sectio 3-a continebit secundum fidei articulum.
— 4-a „ tertium „ „
— 5-a „ quartum „ „
— 6-a „ quintum „ „
— 7-a „ sextum „ „
— 8-a „ septimum „ „
— 9-a „ octavum „ „
— 10-a „ nonum „ „

Digitized by Google

Sectio 11-a continebit decimum fidei articulum.
— 12-a „ undecimum „ „
— 13-a „ duodecimum „
adeoque in praemissis duodecim sectionibus, quidquid doctrinae christianae 5-a, 6-a, 7-a, et 8-a quaestionibus comprehenditur, exponetur.
Sectio 14-a continebit explanationem quaestionum 9-ae, 10-ae, et 11-ae (seu quidquid de Cruce populum Chr.-Catholicum scire oportet)
— 15-a habebit quaestiones 12. 13. et quidquid de spe in genere.
— 16-a continebit quaestionis 14-ae expositionem, quae ambitu suo tractatum de oratione complectetur.
— 17-a de orationis Dominicae Doctore, et primis tribus ejus petitionibus tractabit.
— 18-a continuabit explicationem petitionum 4-ae et 5-ae.
— 19-a de 6-a et 7-a petitione aget.
— 20-a tractabit quaestionem 15-am, seu doctrinam de tribus salutationis angelicae partibus.
— 21-a habebit quaestiones 16-am, 17-am, 18-am, 19-am, et 20-am, (quo per modum illustrationis referentur, quae Cap. 3-o Catechismi scholaris majoris divisione 1-a occurrunt).
— 22-a pertractabit quaestiones 21-am, 22-am, et 23-am (huc revocanda 2-a divisio Cap. 3-ii, ubi de 10 Praeceptis Dei in genere, et primis tribus in specie).
— 23-a aget de 4-to Praecepto.
— 24-a „ „ 5-to „
— 25-a „ „ 6-to et 9-no Praec. (in quantum pro prolibus).
— 26-a aget de 7-mo Praecepto.
— 27 a „ „ 8-vo „

Digitized by Google

Sectio 28-a aget de 10-mo Praecepto.

— 29-a continebit quaestiones 24-am, 25-am, 26-am, 27-am et 28-am (ut in Catechismi majoris Cap. 3. divis. 3.) et de Praeceptis Ecclesiae summatim.

— 30-a habebit quaestiones: 29-am, 30-am, 31-am, 32-am (e majoris Catechismi Cap. 4. divisio 1. de Sacramentis in genere).

— 31-a includet quaestiones: 33-am, 34-am (quo in subsidium Catechismi majoris Cap. 4. divisio 2., quidquid de baptismo, ejus necessitate, et Patrinis referetur).

— 32-a constabit quaestionibus 35-a, 36-a (ubi de confirmatione, ac de scitu necessariis ad hanc suscipiendam) dein de SS. Altaris Sacramento adnectantur quaestiones 37., 38., 39., 40., et 41., ubi doceatur: quid ante? et quid post Communionem faciendum?

— 33-a tractabit quaestiones 42., 43., 44., 45., (hic quae cap. 4-ti divis. 2. §. 4-to quantum ad quaest. 42. et 43. item pro quaest. 44. et 45. quae cap. 4-ti §. 5-o de extrema Unctione exponuntur, in quantum quaest. 44. et 45. non exhauriuntur).

— 34-a comprehendet quaestiones 46-am, 47-am, et 48-am, (huc referetur §. 6. explicatio) dein quaest. 49-am, ad quam addendum, quae in cap. 4-ti §. 7. de matrimonio occurrunt.

— 35-a aget de quaestionibus 50., 51., 52., et 53., (quo referetur cap. 4-ti divis. 2-ae §. 4-tus).

— 36-a habebit quaestiones 54., 55., 56., 57., 58., (huc referetur cap. 4-ti divis. 2-ae §. 4. sub *b*).

— 37-a pertractabit quaestiones 59., 60., 61., 62., 63., 64., et 65., quo referetur cap 4-ti §. 4-to sub *a*).

— 38-a continebit quaestiones 66., 67., 68., 69., (quo referentur, quae sub *c* cap. 4. divis. 2. §. 4. occur-

Digitized by Google

runt,) et doctrina synoptica Ecclesiae Catholicae de Indulgentiis, de Concursibus parochianorum, prout et de peregrinationibus piis ad loca thaumaturga, cum fructu instituendis, explananda veniet.

Sectio 39-a tractabit quaestiones 70., 71., 72., 73., (quo referenda, quae cap. 5. in praeambulo et §, 1.).

— 40-a complectetur quaestiones 74., 75., 76., 77., 78., et 79., (huc referentur, quae cap. 5. §. 2.).

— 41-a habebit quaestiones 80., 81., 82., (et hic quae cap. 5. §. 2. de peccatis capitalibus, et in Spiritum S.).

— 42-a includet quaestiones 83., 84., (et hic exponentur peccata in coelum clamantia, et aliena).

— 43-a aget de quaestionibus 85., 86., 87., 88., 89., (quae cap. 5. Parte 2. illustrabuntur).

— 44-a pertractabit quaestiones 91., 92., 93,, 94., (hic de necessitate fidei, de viva et mortua fide, et actus ipsius fidei, spei, et charitatis secundum libellum dioecesanum repetentur).

— 45-a comprehendet quaestiones 95., 96., 97., 98., (hic de spe, ejus proprietatibus, ac diversitate).

— 46-a continebit quaestiones 99., 100., 101., 102., 103.

— 47-a tractabit quaestiones 104., et 105., doctrinam in se uberrimam complectentes.

— 48-a habebit quaestiones 106., 107., et 108., quae pariter materiam sufficientem suppeditant.

— 49-a absolvetur quaestionibus 109., 110., 111., 112., et 113.

— 50-a pertractabit quaestiones 114., 115., 116., et 117.

— 51-a complectetur quaestiones 118., 119., 120., et 121.

— 52-a quaestionibus 122., 123., et 124. constabit, ac Catechesi de coelo, ad libitum Catechetae, et pro ratione captus auditorum adornata, concludetur.

Digitized by Google

10mo.

Diebus festis in Dominicos non incidentibus, Catecheta, vel mysterium diei conveniens; vel Ecclesiae, divinique cultus coeremonias et ritus, signanter sacrosanctum Missae sacrificium, ac consvetas preces, modo prolium captui maxime conveniente explanandas praesuscipiet; vel de iis moralis christianae capitibus, quae pro locorum, temporumque, ac ipsius tenerioris aetatis adjunctis, penitius, frequentiusque parvulis inculcanda cognoverit, congruas dissertationes instituet; vel denique praecedentis Dominicae Catechesim uberius explicabit, et repetet.

11mo.

Quo institutiones hae certiorem, uberioremque fructum referant, perquam necessarium esse dignoscitur: ut Catecheta breve, sed attemperatum institutioni suae praemittat exordium, suis locis, et temporibus aptas interjiciat digressiones morales, adducat ex sacra, immo et profana historia congrua exempla, parabolarum adminiculis, exemplo divini Magistri nostri, attentionem excitet; eo denique omni virium contentione enitatur: ut parvuli doctrinae dulcedine inescati institutionem lubenter, ac cum solatio spiritus excipiant, ad, virtutis, et christianae perfectionis amorem, intus, in corde incalescant, atque ab adolescentia sua condiscant, quam dulce sit jugum Domini, quod portandum humeris eorum imponitur.

12do.

Conclusa Catechesi mox breve prolium examen instituatur, nec solum iis, quae in praescripto libro continentur, e memoria recitandis contentus sit Catecheta; sed ex praemissa institutione sua, socratico more proponat quaestiones, et sic expositae materiae aditum, ad intellectum, et animum ube-

Digitized by Google

rius aperiat; id quod boni Catechetae, tum in Patria, tum aliis etiam ditionibus insigni cum fructu facere comperiuntur. Qua in re domesticis: Muhlii, Kanislichii, ac exterorum: Fitzgai, Gruberi, Hirscheri, Langhii, Leonhardi, Pariczekii, Pugeti, Vagneri, ac praecipue illius sub titulo: „Die Religion in Erklärungen, und Gesprächen 4 Bände, Grätz 1796. elucubrationibus et compendiis, Catechetae insigniter alleviabuntur.

13tio.

Cum diligentiam prolium, et attentionem haud parum provocent, et exacuent solita munuscula catechetica, accommodum eorum usum vehementer commendamus sacris Curionibus, ad exemplum complurium Curatorum, qui sancto officii zelo incitati, non modicas ex propriis facultatibus etiam in hunc salubrem finem facere solent impensas. Quo autem iis, quorum res familiaris angustior est, quaqua ratione succurramus, praevigentem hac in parte constitutionem dioecesanam renovamus, indulgentes in Domino: ut in tenuis dotationis Parochiis, e sacro Ecclesiae peculio quotannis, quatuor floreni C. M. hoc fine desumi queant. Ut vero intentus harum institutionum fructus palam demonstretur:

14to.

Injungimus hisce Vice-Archi-Diaconis: ut in relationibus suis tabellaribus Officio dioecesano submittendis, signanter illa sub *C*, in rubrica, quoad verbi divini praedicationem, de Catechesibus quoque, ac his in specie institutionibus dominicalibus, et festivis, quo fervore, et fructu, in singulis Parochiis asservari solitis? fidelem, ac genuinam praestare teneantur informationem.

Et haec sunt, quae Vobis, Filii in Christo dilectissimi! pro munere Nostro episcopali praescribenda, et injungenda

Digitized by Google

censuimus; obtestantes singulos Vestrum per viscera misericordiae Dei nostri, quibus nos oriens visitavit ex alto: ne prohibeatis parvulos ad Vos venire; sed ut doceatis eos, quae sit voluntas Dei beneplacens et perfecta. Non absterreant Vos incommoda institutionum, non rudioris pubis imbecillitas; nec dicite: durum est praeceptum, quis poterit servare illud? Omnia possumus in eo, qui nos confortat Christus, si modo viva fides percellat interiora cordis nostri, et desiderium operandae salutis eorum, qui crediti sunt manibus nostris. Obsecrate itaque, arguite, increpate in omni patientia, et doctrina; eritque verbum Vestrum validius gladio ancipiti; scutum Vestrum sit patientia, galea mansvetudo et charitas; et aspirante divini Numinis gratia reportabitis finem fidei Vestrae, qui est salus animarum; et potens erit semen verbi Vestri; et operatio Vestra ab Alto benedicetur, ipsi requiem animabus Vestris inventuri; quia scriptum est: qui multos ad sanctitatem, et justitiam erudiunt, fulgebunt tamquam stellae in perpetuas aeternitates; ad quod Vobis, paternam benedictionem Nostram peramanter impertimur. Dabamus Zagrabiae in Arce solita quippe Residentia Nostra Episcopali, in vigilia OO. Sanctorum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo, Octingentesimo, trigesimo octavo.

Digitized by Google

In Matre N. *vel* Filiali N. In Domo N. Sub Nro N.	Proles catechisandae				Pro Annis							Observationes speciales.
	Natae et baptisatae	Confirmatae	Earundem capacitatis	In frequentando diligentiae	1838.	1839.	1840.	1841.	1842.	1843.	etc.	
Nomina	Anno Domini		Qualitas		Profectus in institutione catechetica							

Digitized by Google

ENCYCLICAE INTUITU SCHOLARUM VERNACULARUM EDITAE DE ANNO 1839.

GEORGIUS etc.

Honorabili Dioeceseos Nostrae Curato Clero, Filiis Nostris in Christo dilectissimis, salutem a Domino, et benedictionem sempiternam!

Scholarum, quas vernaculas vocant, summam utilitatem nemo unus, qui earum indolem, inque animos hominum influxum attentius expenderit, in dubium vocare, nemo unus, qui a praejudicatis opinionibus liber sit, inficiari potest. Quid enimvero utilius esse possit, eo instituti genere, cujus unicus scopus est, cujusvis, infimae etiam conditionis prolibus, religionis, et moralitatis instillare principia, eas naturali feritate exutas, ad aliquem humanitatis gradum elevare, iisque cognitionum elementis imbuere, quibus nemo in societate vivens, carere potest, citra summa et propria, et aliorum, quibuscum agit, incommoda. Quisque certe, vel aliquantum attentius rem considerans, perspicere debet, proles, quibus sacrosanctae religionis christianae placita, saluberrimaque morum praecepta, plurium annorum decursu, ac pene quotidie in scholis propinantur, explicatius dilucidantur, pressius inculcantur, meliores aliquando homines, pientioresque Christianos futuros, quam quae, dempta modica illa, quam in ecclesia recipiunt, institutione catechetica, sibi soli, et

Digitized by Google

naturae, sua sponte in malum proclivi, relinquuntur. Quivis rerum non plane rudis concipere debet, quod adolescentes, primis humanarum cognitionum rudimentis imbuti, suam olim sobolem rectius educaturi, a multis, saepe perquam noxiis, superstitionibus certius immunes futuri, munditiei, et convenientiae majorem rationem habituri; ipsis oeconomiae suae, reique familiaris rationibus et solertius, et felicius consulturi, sicque et propriae privatae, et publicae Patriae prosperitati longe amplius sint subservituri, quam qui omni prorsus naturalium facultatum cultura destituti, vix unquam ad eum, qui ens ad imaginem Dei conditum decet, humanitatis gradum possunt eluctari.

Quae cum ita sint, mirari sane subit, quod reperiantur adhucdum, nec solum inter laicos, sed et clericos, qui saluberrimum scholarum vernacularum institutum ne dicam inimico, frigido certe et incurio oculo contemplentur? Causam indecorae hujus aversionis, tristisque teporis, partim in commoditatis studio, partim in crasso illo praejudicio cubare animadvertimus: quasi vero metuendum sit, ne si plebs litterarum cognitione, cultioribusque fuerit moribus imbuta, sorte sua se minus contentam, minus praepositis suis obedientem, ad explendas status sui obligationes minus promptam praebeat.

Sed vero ad detegendam suppositionis hujus falsitatem advertisse suffecerit: nequaquam hic agi de sublimioribus quibusdam, talibusque cognitionibus, ruricolis, aut humilioris secus conditionis hominibus ingerendis, quae animum horum quaqua ratione conturbare, eosque sorte sua minus aliquando contentos reddere possent; sed de iis potius, quae ipsos de incumbentium sibi, quovis in respectu, obligationum indole plenius informent, ac ad has impigre, nec solum propter timorem, sed et propter conscientiam obeundas exstimulent; agi potissimum de edomanda tristi, semperque ipsi societati periculosa, hominis sibi relicti feritate,

Digitized by Google

de mediis exstirpandi crassa illa vitia, quae pene semper illic, ubi omnis institutio prostrata jacet, reperiuntur, de iis denique notitiis pubi hujus sortis ingenerandis agi, quae in obviis quibusvis socialis nexus correlationibus, ac cujusvis status, conditionisque obtutu, necessariae esse dignoscuntur. Consideratio haec quemvis sane convincere potest, quam infirmo, immo falso fundamento inimica scholis vernaculis opinio innitatur, quamque merito ad praejudiciorum classem sit referenda; id, quod uberius adhuc ipsorum, quae vivimus temporum experientia confirmat: utpote quae, seu vicinas circum provincias, seu varias patriae nostrae oras perlustremus, nobis palam facit, earum partium populos, quae scholis vernaculis, debite constitutis, provisae sunt, in praestando legitimae cuivis superioritati obsequio aliarum, scholis destitutarum partium incolis, nequaquam esse inferiores, immo et in hoc genere esse praestabiliores.

Quod porro in rem scholarum vernacularum multum, immo quamplurimum opera sua contribuere possint Curatores animarum, indubium est. — Praeterquam enim quod a Pastorum, praesertim qui amorem, fiduciamque suae curae creditarum ovium norunt emereri, ore pendeant potissimum fideles, nemini magis, quam ipsis, seu apta negotium promovendi adminicula, seu, quae obstant, impedimenta perspecta sunt; qui, modo serio velint, et haec removere, et illa adsciscere, inque felicem rei effectum, pro sui quisque loci, ac personarum adjunctis, facili saepe negotio possunt dirigere. Uberius id confirmant laudabilia in ipsa Dioecesi Nostra exempla; e quorum recentioribus actualium Vice-Archi-Diaconi et Parochi Ludbreghiensis, Vice-Archi-Diaconi et Parochi Brezoviczensis, honorarii Canonici Vice-Archi-Diaconi et Parochi Pokupzkensis, Vice-Archi-Diaconi et Parochi Krapinensis, Parochi Zachretjensis ad S. Crucem, et Cooperatoris Sellensis memoramus; quin tamen aliorum suppariibus nefors, sed ad nostram notitiam

Digitized by Google

hucdum haud pervenientibus meritis, laude hac Nostra, quidpiam detractum cupiamus.

Sed quemadmodum plurimum hac in re posse sacros curiones convincimur: sic sedulam eatenus curam, zelum, et contentionem nemini magis, quam ipsorum, atque adeo sacri sacerdotalis ordinis vocationi congruere plane perspectum tenemus. Quippe nostrum est, cuncta, quae ad promovendos religionis, morumque probitatis fines pertinent, benevolo complecti animo, studio, laboreque nostro succolare; itaque nostrum quoque indubie est, in hoc ad memoratos fines, ut paulo ante vidimus, efficacissimo instituto, bonis quibusvis artibus provehendo elaborare. Porro cum docere ignorantes non modo ad praecipua humanitatis officia, sed et ad evangelicae erga proximum misericordiae opera pertineat: hoc officio defungi, neminem magis decere potest, quam eos, qui ministri sunt legis gratiae et charitatis, ac in sortem vocati ejus, qui fons est charitatis, et thesaurus misericordiae. Et hinc indubie repetendum est, quod cunctis christianae aerae saeculis, pubis, et tenerae, et adolescentioris institutio penes solos paene fuerit clericos, Sacerdotes, Religiosos. Hinc etiam repetendum est, quod Augustissimorum terrae Principum, Regum nostrorum Apostolicorum, pia providentia, scholarum vernacularum Rectoris officium Parochis, Pro-Inspectoris autem munus Vice-Archi-Diaconis benigne existimaverit committenda.

His rei obtutibus, qui jugiter obversantur oculis mentis Nostrae, excitati, intermittere non potuimus, quin Vos, Filii in Christo dilectissimi! ad sedulam, in promovenda re scholarum vernacularum, cooperationem exhortaremur; a Vestra erga nos filiali observantia, studioque, fiducialiter exspectantes, Vos paternam, nec nisi lucra animarum, curae Nostrae divinitus creditarum, consectantem sollicitudinem Nostram benevolo animo suscepturos, ac unitis studiis succolaturos. Non ignoramus his desideriis

Digitized by Google

Nostris, mox in effectum deducendis, gravia se oggerere obstacula, perspicimus etiam rem tantae amplitudinis uno ictu confici non posse. Sed vero eo jam loco patriae adjuncta esse conspicimus, ut in plerisque, corporeis saltem, majorisque populationis communitatibus, modo Curator animarum serio velit, et prudenter agat, scholarum vernacularum initia diu desiderari non debeant. In nonnullis ludirectores adsunt, et organaedi, qui si pauca ipsis accrescerent emolumenta, scholarum quoque magistri vicibus, ut id in aliis regnis passim obtinet, percommode possent defungi. Alibi Notariorum introducta sunt officia, cum quibus scholae Magistri munus perquam commode saepe potest copulari; hic vacans sessio, aut alii in rem convertendi agelli, ibi promptus parochianorum animus; hinc vacuae cujuspiam aedis commoditas, illinc terrestralis dominii benevolentia, ipse persaepe dominorum magistratualium zelus, semper vero promptus Supremae Studiorum Directionis conatus rem provocat, et multo, quam primo obtutu existimaretur, faciliorem reddit. Quandoque in ipsa parochiali aede jacta quaepiam hujusmodi institutionis exordia, laetissimos protulerunt fructus, pluraque actu prostantia docuerunt exempla, ex tenuibus idgenus initiis florentes subin exstitisse scholas vernaculas. Denique pro locorum, aliorumque adjunctorum diversitate, diversa etiam in rem suppetunt remedia, quae sincero zelo animato, prudentique sacro curioni haud nimis arduum est detegere, haud impossibile in optatum finem convertere; quae quidem Nos in generali hoc meriti obtutu per partes persequi non possumus; id tamen Vobis pollicemur: Nos, si, et in quantum ad felicem contentionis Vestrae effectum operam Nostram quaqua ratione utilem fore judicaveritis, conatus Vestros consilio, intermediationeque Nostra lubenter succolaturos.

Et haec sunt, quae praesentibus ad notitiam Vestram perferenda, Vobisque proponenda in Domino censuimus, ob-

Digitized by Google

secrantes Vos, Filii dilectissimi! in nomine ejus, pro quo legatione sacri ministerii fungimur: ut in promovendo hoc instituto nihil, quod Vestrarum est partium, nihil, quod tulerint vires Vestrae, a Vobis desiderari patiamini. Quodsi audieritis vocem Nostram, imprimis promptam Vobis, et expeditam aperietis viam ad uberrimos spiritualibus laboribus Vestris fructus procurandos, praeparabitis terram, in qua jacienda sunt divini verbi semina, nec tardabit ea fructum reddere centuplum; videbitis ruditatem morum mitescere, cruda, quae familias ruricolarum depopulantur vitia, rarescere, industriam nova in dies capere incrementa, denique et privata fidelium, populariumque Vestrorum commoda, et publicam patriae prosperitatem magnis passibus increscere, ac videntes haec a Vestris potissimum studiis et sudoribus provenisse, laetabitur et dilatabitur cor Vestrum, testimonium reddente conscientia Vestra: Vos, in hoc quoque digne ambulasse sancta, qua vocati estis, vocatione; ad quod paternam benedictionem Nostram Vobis peramanter impertimur. Dabamus Zagrabiae in Arce, solitae residentiae Nostrae Episcopalis, die nona Januarii, Anno Incarnationis Dominicae millesimo, octingentesimo trigesimo nono.

Digitized by Google

ENCYCLICAE VISITATIONI CANONICAE PRAEMISSAE
DE ANNO 1839.

GEORGIUS etc.

Honorabili Clero Curato Dioeceseos Nostrae, Filiis in Christo dilectissimis, Salutem in Domino sempiternam!

Visitationum seu lustrationum, per singulas Ecclesias, singulasque Parochias institui solitarum, summam esse utilitatem, immo necessitatem plane convincimur. Etenim hae praecipuum fere sunt medium salutarem in Clero disciplinam conservandi, labefactatam restabiliendi, vitia non modo penes populum, sed, si quae penes Clericos quoque, et Pastores animarum, cum ingenti religionis, et pietatis christianae detrimento, invaluissent, eradicandi, somnolentos in explendis sui muneris partibus excitandi, bonis, et zelosis novum ad impigre currendas vias Domini calcar subjiciendi, consiliis indigos erigendi, duris mansvetudinem, frigidis charitatem instillandi. His potissimum lustrationibus canonicis impetratur, ut in Domo Dei nitor, et sanctimonia, in divino cultu ordo, in annunciando Evangelio, instituendisque in doctrina christiana parvulis, ac administrandis Sacramentis diligentia, fervor, et salutari Ecclesiae intentioni congrua ratio obtineat; ut piae fundatorum menti satisfiat, Ecclesiarum, Beneficiorumque parochialium jura salva praestentur, violata restabiliantur. Hinc est, quod SS. Canones

Digitized by Google

tot, ac distinctis adeo constitutionibus has visitationes institui praecipiant; hinc, quod Nostrae quoque Dioeceseos statuta easdem quam frequentissime praesuscipi jubeant. —

Quae pro gravitate sua jugiter animo expendentes, et Dioeceseos, quae admirabili divina dispositione regenda Nobis obtigit, spiritualibus commodis prospicere gestientes, firmiter proposuimus apud animum Nostrum, hoc canonicae Visitationis munus, quo fieri posset ocius, occipere, quove admitterent rerum adjuncta, solertius continuare. Et vero initium Apostolico huic labori indubie currenti adhuc anno daturi eramus, si non fuissemus indicto publico Statuum et Ordinum Regni Hungariae, Partiumque adnexarum conventu, ab hoc proposito Nostro impediti. Sed et secus ea est Dioeceseos Nostrae amplitudo, ut, etiamsi similibus, quale nunc emersit, impedimentis, futuris temporibus, irretiti haud fuerimus; tamen cunctas Ecclesias nonnisi successive, et plurium, si hos divinae bonitati concedere Nobis visum fuerit, annorum decursu, canonice visitando obire possimus. Itaque satis intelligimus, Nos propriis viribus Nostris haud posse debite incumbenti Nobis, hac in parte, muneri respondere, aliorumque subsidiariam operam necessariam Nobis esse. Quo autem alio fiducialius vertere possumus oculos mentis Nostrae, quam ad venerabilem Cathedralis Nostrae Ecclesiae Senatum, ac ad eos signanter, in ejus medio, quos sacrosancta Synodus Tridentina Episcoporum oculos compellat, ad eos, qui dignitate, munereque Archi-Diaconorum distingvuntur? — Quippe Archi-Diaconi antiquioribus jam Ecclesiae temporibus, in Clerum curatum, curamque animarum inspectionem exercebant, caeteris auctoritate praesidebant, iidem repetitis Dioeceseos Nostrae constitutionibus ad hoc visitationis munus obstringebantur, illoque, testibus quamplurimis tabularii dioecesani documentis, haud dudum etiam evolutis temporibus, maximo cum disciplinae sacrae, divini cultus, et religionis emolumento, reapse perfungebantur.

Digitized by Google

Quamobrem Dominos Dioeceseos Nostrae Archi-Diaconos, singulos relate ad Archi-Diaconatus suos, Visitatores sub hodierno constituimus, eosque paterne requirimus, immo in virtute sanctae, et salutaris obedientiae iisdem praecipimus: ut ad summum intra triennii, a dato praesentium computandi, defluxum, ad singulas Archi-Diaconatus sui Parochias, opportuno tempore, coram accedant, adscitoque in consortium Vice-Archi-Diacono districtuali, visitationis opus, secundum ea, quae hoc fine confecimus, et de quorum tenoribus, quantum ad praeviam notitiam Vestram pertinent, iidem Vos edocere haud intermissuri sunt, indagationum puncta, debite perficiant; eos, quos in Ecclesia, in divino cultu, in vita sacerdotum, in cæteris, ad visitationis hujus ambitum appertinentibus objectis observaverint defectus, quoad fieri potuerit, illico, fota etiam, pro re nata, cum Patronatu, terrestrali Dominio, vel persona Magistratus publici, cointelligentia, in conformitate SS. Canonum, et Statutorum dioecesanorum, e medio tollere adnitantur; sin vero uberiorem discussionem, amplioremque authoritatis impensionem deposcere videbuntur, eatenus ad Nos, Consistorium Nostrum, vel Vicarium Generalem, cum opinione sua, referre, totamque Visitationis peractae seriem, chartae mandatam, Nobis exhibere haud intermittant. —

Quemadmodum proin Archi-Diacono Vestro, taliter per Nos constituto Visitatori, omnem, quam possumus, ad fructuose operandum, necessariam potestatem, et auctoritatem tribuimus, concedendo una eidem, non modo vere poenitentes a cunctis Nobis reservatis casibus absolvendi, sed et ad SS. Sacramenta admittendi eos, qui pro Paschate non fuerant admissi, si justa admittendi causa iis visa fuerit, item apparamenta altarium, et ad Missam requisita, uti et Cruces, et imagines, servatis servandis, benedicendi facultate: sic Vobis in ejusdem sacrosanctae obedientiae virtute hisce in Domino mandamus: ut Archi-Diaconum, ad Vos

Digitized by Google

compariturum, qua constitutum per Nos, Visitatorem Vestrum recipiatis, eique in omnibus, quae ad visitationis munus, de jure, et approbata consvetudine pertinent, debitam obedientiam, et reverentiam exhibeatis.

Insuper, cum iteratim reperti sint in curato Dioeceseos Nostrae Clero, de quorum vitae ratione in praescriptis annuis informationibus nil animadversione dignum notabatur, qui tamen subin gravium, et longiori etiam tempore continuatorum excessuum rei sunt comprobati: Vice - Archi-Diaconis potestate, a supremo Pastore Nobis concessa districte hisce injungimus: ut, ne quidquam hujusmodi dehinc eveniat, in suo quisque Districtu, interea etiam, dum visitatio, de qua agitur, peragi potuerit, solerter invigilent, praescriptas illas de Clero sibi subordinato relationes, omni humano respectu seposito, secundum veritatem, et conscientiae suae dictamen conficiant, et si quem in Districtu observaverint sacerdotem, qui sanctae vocationis suae oblitus, ab ea, quae in sortem Domini vocatos decet, vitae sanctimonia recessisset, inque vias pravas declinasset, neque fraternis monitis illico ad virtutis tramitem revocari posset, talem Nobis, aut Consistorio Nostro, pro muneris sui ratione, subque gravissimo, quod secus ipsi incursuri sunt, responsionis onere, indicare festinent; Qui relate ad hujusmodi saniora consilia respuentes, et in destructionem potius quam ædificationem corporis Christi tendentes, et Sacerdotis nomine indignos clericos, secundum sacrorum Canonum praescripta, et ea, qua opus est, quamve reddendae olim, coram supremi Pastoris tribunali, responsionis ratio, a Nobis deposcit, cum severitate procedere haud sumus intermissuri. Cætera Vobis, dilectis in Christo filiis, paternam benedictionem Nostram peramanter impertimur. — Datum Zagrabiae in Arce solitae residentiae Nostrae Episcopalis die 22-a Aprilis anno Domini 1839.

Digitized by Google

PUNCTA VISITATIONIS IN HIS ENCYCLICIS PROVOCATA.

I.

De Ecclesia.

1.

Cujus formae, et amplitudinis? Per quem olim fundata? Sub cujus Sancti patrocinio, et invocatione constituatur? Num et per quem consecrata? Num et quando Dedicationis, quando item Patrocinii festum celebret? Num quoad situm, statum, et amplitudinem suam, parochiani populi indigentiis respondeat?

Quot in Ecclesia altaria, et sub quorum Sanctorum invocatione? Utrum singulum integro portatili, Crucifixo, canonum tabellis, praescriptis tobaleis, aliisque ad convenienter celebrandum SS. Missae Sacrificium requisitis sit instructum; vel defectum, et qualem patiatur? Num Tabernaculum sit decenter adornatum, clavi provisum, et ubi haec asservetur? Num Sanctissimum nitide servetur, et debite renovari soleat? An adsit lampas ante Tabernaculum; numve illa perpetuo, vel certis tantum, et quibus temporibus alatur?

Num adsit sacer suggestus, fini correspondens? Num Confessionalia, et haec quidem fenestris, craticula instructis, provisa? An fons baptismalis debite sit instructus, et nitide servetur, quandove in eo aqua benedicatur? Num sa-

Digitized by Google

cri liquores, et qualibus in vasculis, quave cum munditie serventur, et an suis temporibus renoventur? An adsint aliquae sacrae Reliquiae, et quales, numve authentia provisae, et an, quando, et quomodo fidelium venerationi exponi soleant? An non aliquae in Ecclesia reperiantur statuae vel icones, quae minus aedificando fideli populo aptae forent? An Ecclesia habeat organum, quale, et in quo statu? An catacombam, et quis ejus usus fiat? Qualem habeat sacristiam, num flexorio, cum precum, ante, et post Missam recitandarum tabella provisam, tabella item Altariarum in pariete praescripto more appensa, vasculo pro lotione manuum deserviente, et manutergio, denique necessariis pro asservanda sacra supellectili armariis instructam? An quae praesto est sacra supellex, sit conveniens, et sufficiens pro divino cultu decenter servando? Denique, an Ecclesia sufficienter sit contra fures sacrilegos, et incendium munita? et si aliquis subversatur defectus; an circa talem sufferendum, aliqui, qualesve per Parochum passus facti sint actuque fiant?

2.

Cui incumbat obligatio Ecclesiam in bono statu conservandi, et pro re nata restaurandi? Quae sit ejus dos, num, et qualia in specie habeat capitalia, imprimis quidem fundationalia, dein etiam industrialia; apud quos et num sufficienti cum securitate elocata, signanter intabulatione provisa? Num et quales in specie fundos, per quos ii, quibus expensis, et num debite colantur? Num, et quae sint onera, ac obligationes cum Ecclesiae possessionariis juribus connexae, anve iis satisfiat? An non aliquod juribus Ecclesiae praejudicium immineat, unde, et num congrua circa talis praejudicii depulsionem fiant? Num adsit cista Ecclesiae, ubi asservetur, quotve sit clavibus provisa? An non

Digitized by Google

intuitu conficiendarum, et revidendarum rationum aliquid reflectendum occurrat? Ubi obligatoriae, et an debite cum aliis idgenus documentis conserventur?

3.

Quodsi in gremio Parochiae adsit una, vel plures Capellae filiales, hae quoque succincte, secundum praemissa describantur; adnotata unius cujusque a matre Ecclesia distantiâ. Item si ante Ecclesias, vel secus in patenti, adsint aliquae Crucis, vel Sanctorum Statuae, hae quoque adnotentur, et num alendae fidelium pietati aptae, in bono statu, num item, et quali dote provisae, vel per quem conservandae sint? innuatur.

II.

De Cultu divino, aliisque Religionis exercitiis.

Quis sit ordo Cultus divini in Ecclesia parochiali diebus Domini, et festis? quae item devotiones speciales in Ecclesia seu parochiali, seu filialibus Capellis usuveniant, et quoties in his per annum, ac quibus diebus, numve ex praescripto, vel antiqua consvetudine, et num cum verbi divini annunciatione sacra fieri soleant? ac utrum ad haec extranei quoque, quibusve ex Parochiis confluere consveverint? Num etiam feriatis diebus certis horis, et quibus, SS. Missae sacrificium celebretur? Num sacri ad concionem sermones accurate, cum debita praeparatione, debitoque fructu serventur; an non quandoque, et quibus sub praetextibus intermittantur; an non his talia, quae ad sacrum ambonem non pertinent, immisceantur? An catecheticae institutiones, prout ordinibus dioecesanis praescriptae sunt, accurate, zelose, et optato cum fructu serventur? Protocolla eatenus, quae inspicienda erunt, debite ducantur? An sic dicta etiam exami-

Digitized by Google

na catechetica debite, ordinate, et pastorali cum charitate fiant? Qualem se Parochus in impendenda privata quoque fidelibus suis instructione exhibeat? An sub divinis musica quandoque adhibeatur, an item et quando populus canat? Num sanctissimum Eucharistiae sacramentum qnandoque publicae adorationi exponatur, qua die in specie, et num omni, sancto mysterio debita, cum veneratione? Num processio theophorica, Resurrectionis, Rogationum item, aliaeque publico Ecclesiae ritu praescriptae processiones, et devotiones debite celebrentur? An Baptismus, extra casum necessitatis in Ecclesia, et quot patrinis vel matrinis adstantibus, numve debita cum pietate administretur? An pro Confirmationis sacramento (cujus ultimo administrati tempus praenotandum) fideles praevie debite praeparentur? An praeter communionem paschalem, Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae frequententur? An in administratione Sacramenti Matrimonii non aliquid observetur adversum dispositioni sacrorum Canonum, et altissimarum Ordinationum? An non vigeant occasione nuptiarum aliqui abusus? An prolium, ex mixtis matrimoniis progenitarum, debitae religiosae educationi solerter invigiletur? An non occasione sepulturae, aut exequiarum quidquam irrepserit inordinati, et quod minus foret probandum? Num praescriptum 48 horarum tempus sepulturae praemittendum accurate observetur? Num aliquae in plebe superstitiones nefors regnent, et quales? numve, et quibus mediis sacer Curio tales eradicare contendat?

III.

De Parocho, et caeteris Ecclesiae ministris.

1.

Quis Parochus nomine, et cognomine, unde oriundus, quot aetatis physicae, quot item sacerdotii annos numeret,

Digitized by Google

et quanto tempore huic Parochiae praesit? Num vitae ejus ratio sit sanctimoniae status sacerdotalis, et Pastoris animarum, conveniens? An non observetur pietatis et devotionis officia, signanter etiam horarum Canonicarum recitationem, negligere, sicque spiritum orationis, sine quo sacerdos fructuose operari non potest, abjicere? An vestem talarem, et tonsuram clericalem jugiter deferat? An eum modum agendi observet, qui aptus est ad fiduciam, et amorem populi emerendum? An in cunctis muneris sui partibus sit impiger, accuratus, zelosus, discretus, mansvetus. An dioecesanas constitutiones, et superioritatis ordinationes rite observet? Num incumbentibus sibi dioecesanis, quoad celebrationem Missarum, et anniversariorum pro defunctis, aliarumque functionum sacrarum obligationibus ad amussim satisfaciat? An Matriculas baptisatorum, copulatorum, defunctorum, regiarum item et episcopalium ordinationum Protocolla, nec non praescriptum librum memorabilium habeat, et debite continuet? nitide conservet, et custodiat? An tempus a pastoralibus curis vacuum, literarum, cumprimis sacratiorum, studiis impendat? An exemplarem, et qualem in specie habeat familiam, an alicui liberiori, cum hac, vel secus cum aliqua sequioris sexus persona conversationis suspicioni sit obnoxius, et quod hujus suspicionis fundamentum? an non procacitas idgenus personae, praedominii quaedam species, vestiendi ratio supra conditionem, etc.? An de alio nefors excessu aut defectu notatus, exempli causa de immoderato vini haustu, de rei familiaris incuria, de propensione aes alienum contrahendi, de lusu, evagationibus, incongruis societatibus, venationis passione, vanitate in gestu, habitu, capillorumque conformatione, vel, quod his contrarium vitium est, nimio sui neglectu, et sorditie? An non Beneficii sui tenuta, et jura negligat, involvat, alienet?

Digitized by Google

2.

Eadem circa Cooperatorem, vel Cooperatores, aliosque in gremio Parochiae nefors degentes sacerdotes, investigentur, et conscientiose praenotentur.

3.

Indagetur an non in vitae ratione ludimagistri, campanatoris, sacristae, aeditui, vespillonis, aliarumque, Ecclesiae servitio mancipatarum, personarum quidpiam occurrat, quod ex obtutu servitii, aut scandali, animadversione dignum foret, et remedium exposceret? Prout etiam, an obstetrices, in gremio Parochiae degentes, modum valide administrandi, in casu necessitatis, Baptismi, cognitum habeant?

IV.

De Beneficio parochiali, et accessoriis.

1.

Parochia per quem, et quando fundata? Quae sint filiales, ad Parochiam hanc pertinentes, in quanta distantia et quali cum accessu? an praesens Parochiae situs ex obtutu facilioris curae animarum administrationis, uberiorisque spiritualis fructus, non aliquam mutationem deposcat sic, ut aliquam ejus partem alteri, forte viciniori, adjici, aut parte ex alia Parochia adjecta, hanc ampliari, vel plane novam Parochiam erigi oporteat? et si id utile futurum existimetur, an etiam sperari prudenter possit, in optatam hujusmodi mutationem eorum, quorum interest, consensum accessurum?

2.

Quam Beneficium hoc parochiale habeat dotem in fundis immobilibus? quam in capitalibus, lecticalibus, aut aliis fixis

Digitized by Google

proventibus? Qualis stola competat, et desumatur? Fundi an expensis Parochi, vel per parochianos, et qualiter excolantur? An, et quales adsint Altariae, vel secus piae fundationes? quae exhinc in specie in Parochum redundent obligationes? An non aliquid seu decessorum, seu actualis Parochi negligentia deperiit, avulsum, alienatum sit? an non aliquod juribus, et proventibus Parochi e juris processibus, vel aliis involutionibus, immineat periculum? in casu affirmativo, an, et quid quove cum effectu, fine avertendi ejusmodi periculi actum sit?

3.

Num aedes parochiales ex solidis materialibus sint constructae, vel ligneae? in quo statu, num videlicet bono et usuabili, vel reparationis, et qua sui parte indigo? Num Parochus, et Cooperator in eodem cum familia, sexus praesertim sequioris, tractu, aut plane in contiguis cubilibus degant? Quis aedes parochiales restaurare, et conservare teneatur? an Parochus aedes nitide servet, et minores restaurationes pro incumbente sibi obligatione ex proprio fieri curet?

4.

Quale habeat Coemeterium? an sufficienter amplum, cinctura, vel adminus fossa debite provisum? an ordo inhumationis sic servetur, ut inhumatorum cadavera, ante normales annos intacta relinquantur; num Capella, mortuorum camera, vel saltem signo redemptionis nostrae, Cruce videlicet, convenienter sit provisum?

V.

De Scholis.

1.

An adsint in gremio Parochiae scholae, quot, et quales? per quem et quando erectae, ac introductae? quot classibus,

Digitized by Google

et conclavibus constantes? num prolibus utriusque sexus communes? quot sint docentes seu magistri? cujus religionis, aetatis, moralitatis, et ad docendum habilitatis? num sedulo, et cum optato fructu suo munere fungantur? qualia in specie objecta scholasticae pubi discenda proponantur? Quot sint scholares, et cujus potissimum aetatis proles, quotve annis scholas adire soleant? An pubes suum habeat catechetam, quis ille sit? quoties per hebdomadam singulam classem adeat? quanto tempore, et quomodo illic versetur? an bonam habeat catechisandi methodum, an patientiam, mansvetudinem, zelum? An praeter catechetam etiam per magistrum doctrinae Religionis christianae repetitio, et quoties instituatur? An juventus in cantilenis piis, ac ecclesiasticis instituatur, et exerceatur, et quo cum effectu? An proles diligenter scholas frequentent? sin minus, quae rei causa? numve, et qualia remedia per Parochum adhibeantur?

2.

Si necdum sunt in Parochiae gremio scholae introductae, quae hujus tam gravis defectus causa? an et quae per Parochum eatenus facta sint tentamina? et quid in rem agendum videretur, ut optatus scopus ocius obtineatur?

VI.

De Patrono, populo parochiali, piis institutis.

1.

Quis Patronus? quo fundamento hoc jure gaudeat? et in quo exercitium hujus juris consistat? Quis teneatur modus in praesentando novo Parocho? An correlatae juri huic obligationes, intuitu conservationis, reparationis Ecclesiae, aedisque parochialis, praestandae item condecentis beneficiati dotationis, observentur?

Digitized by Google

2.

Quis sit in genere populi parochiani character, cujus idem sit labii? an pure catholicus? quot sint animae confessionis capaces? Quis in genere populi status moralis? an, generice sumendo, in peculiaria aliqua, et qualia in specie vitia propendeat? An non adsint aliqui publice scandalosi, numve et qualia circa talium correctionem, et removendum offendiculum media adhibita?

3.

Daturne intra ambitum hujus Parochiae Xenodochium, Lazarethum, Orphanotrophium, aut aliud simile piae fundationis, et ecclesiasticae inspectioni obnoxium institutum? per quem, quando, quo fine, et erga quas in specie obligationes erectum? quali dote, seu in fundis immobilibus, seu in capitalibus fundationalibus, aut industrialibus provisum? quot alumnis intertenendis destinatum? quot illic actu interteneantur? quot habeat superiores, et quales? quot item servitores? Per quem dos instituti administretur? penes quem sit immediata, penes quem superior, ac suprema instituti inspectio? An menti fundatorum quoad omnia satisfiat? An rationes accurate reddantur? an et ubi revideantur? An in instituto nihil religionis praescripto, et moralitati adversum observetur? Datum Zagrabiae in Arce solitae residentiae nostrae Episcopalis.

Digitized by Google

ENCYCLICA QUADRAGESIMALIS INTUITU PRAECIPUARUM IN ANIMARUM CURATORE VIRTUTUM. DIMISSA ANNO 1840.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii!

Nonus labitur mensis, quod a latere dilectae sponsae Nostrae, Ecclesiae Zagrabiensis, ad haec publica Regni Hungariae Comitia exciti, magnis a Vobis terrarum tractibus disjungimur. Quamvis non cessaverimus unquam Vos tenera Nostra complecti sollicitudine, quamvis jugiter innotuerint, et innotescere pergant apud Deum, Patrem omnipotentem, orationes Nostrae pro Vobis, totoque curae Nostrae divinitus commisso grege fidelium: tamen discrutiamur corde, quod nec Nos videre cominus possimus facies Vestras, Vestraque mapalia inspicere, nec Vos audire vocem Nostram, quantumvis debilem, sed tamen vocem Pastoris Vestri, diligentis Vos in visceribus Jesu Christi. Appropinquante nunc sacro illo tempore, quo, ut ait S. Ambrosius, [1]) *jejunando, et vigilando adscenditur ad Pascha*; quo, juxta S. Bernardum, [2]) *redimuntur aeterna supplicia, dum remittuntur peccata, et quod non solum absolutio est peccatorum, sed etiam exstirpatio vitiorum, non solum obtinet veniam, sed meretur gratiam*; — non poteramus continere vocem Nostram, quominus ex longinquo etiam pertingeret ad Vos, et adspirante Domino, impertiretur Vobis aliquid roboris, consolationis, et gratiae spiritualis.

---

[1]) Sermone 40. [2]) Sermone 36.

Digitized by Google

De jejunii sanctitate, utilitateque non intendimus hac vice Vobis loqui, Fratres, Filiique dilectissimi! cum eatenus mentem Nostram jam antehac uberius Vobis aperuerimus. Nec de dispensationis in lege abstinentiae quadragesimalis modo, ac mensura quidquam restat Nobis dicendum: siquidem iis, quae anno 1838 disposuimus, ne nunc quidem seu demendum, seu addendum quidquam habeamus; speremusque in Domino, Vos, non modo cum fidelibus Vestris, in conformitate praeviae illius dispositionis Nostrae, processuros; sed et exemplo Vestro, fideli populo ad observandam sanctam, et salutarem hanc disciplinam, praeituros, nec quidquam, hac in parte, a Vobis desiderari passuros. Nos alia hac vice exercet sollicitudo. Deficiens in dies religio, et morum sanctimonia vehementer monet, et hortatur: ut non subtrahamus verbum, si quid fortasse posset conferre ad sanctum fidei depositum custodiendum, ad repellendas plenas undique ruinarum minas, ad defendendam, adserendamque filiorum Dei libertatem.

Vere tristia vivimus tempora, Fratres, Filiique dilectissimi! vere mundus in maligno positus est; fides illa vivificans mundum, quae, ut cum Joanne Apostolo [1]) loquar, *dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus*, magis in dies magisque evanescit e cordibus hominum, quae tamen doctis fabulis, et inanis philosophiae argutiis frustra sarciri intenditur; humilitas, *cujus nisi prius jacta fuerint in corde nostro fundamenta*, ut ait Joann. Cass. [2]) *nullo modo poterit in anima nostra virtutum structura consurgere*, vix amplius de nomine noscitur; ipsa juventus, omne dedignata froenum, florem aetatis deterit ante diem, et praeceps ruit in cuncta, quae vanae arrogantiae, licentiae, et sensuum illecebris lenocinantur; reverentia erga majorum instituta, erga Ecclesiam sanctam Dei, Altaris ministros, et

[1]) 1 Joann 5. [2]) Lib.. 12 de Spir. Superb.

Digitized by Google

dispensatores mysteriorum ejus, pene nulla, ac, quae suapte quasi exhinc profluit, summa erga quasvis etiam alias auctoritates vilipensio; infallibilium divinae revelationis effatorum loco, magis in dies se erigit sapientia carnis, magis magisque invalescunt, frigida, ac fallacia rationis, et prudentiae humanae axiomata. Indifferentismi, quod ajunt, vitium, perniciosissimae pestis instar, omnes jam populatur hominum classes: denique tanta est pravorum librorum colluvies, tanta sunt audaciae ac temeritatis, irrefroenis licentiae, ac omnigenae corruptelae exempla, ut extremam pietati christianae, et verae humanae prosperitati cladem inferre velle videantur.

Scimus perbene, Fratres Filiique charissimi! causas harum rerum altius esse repetendas; nec esse in potestate nostra cuncta haec intercipere, avertere, subitam tantis malis adferre medicinam; sed tamen sic sentimus in animo Nostro, sic convincimur: potuisse multa horum praepediri exemplis, zelo, industria nostris; nostris inquam, qui ad hoc sumus missi in mundum, ut lux simus mundi, sal simus, excubiae civitatis supra montem positae, pro cujus muris, tamquam pro muris Sion, excubandum nobis est eo robore et resignatione, ut superimpendi etiam cupiamus, pro salute eorum, qui per Patrem coelestem crediti sunt manibus nostris. Sic sentimus, sic convincimur, posse nunc quoque tristem hunc rerum statum multum mitigari; posse reprimi multa, prosperitati generis nostri adversa; e contra seminari plurima verae pietatis, ac virtutum germina; immo adspirante eo, qui incrementum dat, Deo, posse etiam effici, ut laetior rursum seges succrescat in vitam aeternam; posse, si non pristinum illum nascentis Ecclesiae innocentiae, et sanctitatis statum, tamen florentis rursus christianae pietatis, florentium virtutum tempora reduci; si modo nos toto cordis affectu nostrae nos dicaverimus vocationi sanctae, nostro plene responderimus ministerio.

Digitized by Google

Non est propositi Nostri, Fratres, Filiique dilectissimi Vos de quibusvis, quae his subintelligimus, prolixis explanationibus informare; diximus nonnulla Vobis in eo, quem occasione occepti Dioeceseos Nostrae regiminis ad Vos direximus sermone Nostro inaugurali; et caeteroquin totus vitae Nostrae tenor eo semper referebatur, ut haec intellectibus, haec cordibus Vestris, claris, et perennibus imprimerentur characteribus. Sunt tamen nonnulla, quae tanti sunt, opinione Nostra, momenti, tantae prae caeteris efficaciae, ut ab his praecipue felices illi, tam rapidis passibus increscenti, aevi corruptioni occurrendi modi dependeant. De his, pro Nostro, erga sanctissimam religionem nostram tenerrimo studio, proque summo divinum in terris regnum, quoad per exiguitatem Nostram licet, succolandi desiderio, denique pro paterno Nostro erga Vos quoque affectu, singillative nonnulla, etsi per summos tantum, ut ajunt, apices, isthic expromenda constituimus.

Primum est intemeratae vitae puritas, et studium inviolatae castitatis. *Quacunque virtute polleas, quibuscunque operibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahes*, ait in quodam sermone S. Hieronymus; quod quidem de Altaris ministro, et dispensatore mysteriorum Dei plane verum est; ut adeo frustranei sint omnes conatus ejus Sacerdotis, inanes omnes sudores, quem videant homines, non dicam in coeno volutari carnalium voluptatum, sed non sic subegisse membra sua imperio spiritus, et divinae legis, ut se immaculatum custodire sciat ab his turpitudinibus, quas in obviis etiam mundi filiis bonus quisque non potest non abominari. Horrore sane concutimur, quotiescumque cogitamus Sacerdotem, hujus generis criminibus maculatum, accedere ad Altare Dei vivi, ad offerendum agnum illum castum, in cujus sanguine ipsorum beatorum stolae dealbantur; horrore concutimur, dum cogitamus, Sacerdotem hujusmodi sacrum conscendere ambonem, verba promulgare vitae aeternae,

Digitized by Google

cum ipse factis, quae profitetur, neget. Quid homines de tali Altaris ministro, de tali verbi divini praecone debeant cogitare, quid fideles, conscii pastoris sui turpitudinum, de ipsa ejus praedicatione, de ipsis religionis per eum promulgatis dogmatibus, inviti etiam suspicabuntur? aut num mirum videri debet, si per homines, videntes se tam impuris creditos manibus, imprimis Sacerdotes hujusmodi, tum ipsum, cui serviunt, Altare; ipsa, quam promulgant, doctrina; ipsa cujus ministri sunt, religio, vilipendatur, negligatur, contemnatur; sicque magis, ac magis in eam, de qua initio sermonem fecimus, mundi corruptelam multi ruant praecipites? Si qui itaque forent, hujus viae inter Vos, Fratres, Filiique dilectissimi, hos non cessamus hortari et obsecrari in visceribus Jesu Christi cum S. Jacobo Apostolo: [1]) *ut abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiae, in mansvetudine suscipiant insitum verbum, quod potest salvare animas ipsorum*; ut meminerint repugnare has abominationes vesti, nomini, muneri, omni denique destinationi suae; ut meminerint tremendi Judicis, qui reddet aliquando secundum opera eorum, et secundum facta manuum suarum. Nos certe cum hujusmodi, omni seposito humano respectu, ea quae sunt muneris Nostri, agemus, omni cum severitate; neque enim thesaurisare Nobis volumus per indulgentiam, aut conniventiam Nostram, thesaurum irae in diem justi judicii Dei. Neque sufficit habere puram, hac in parte, conscientiam; sed ipsa etiam fundatae hujusmodi suspicionis umbra vitanda est; *providentes bona*, ait Apostolus, *non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*; [2]) resecandus est potius pes, resecanda manus, cruendus oculus, secundum doctrinam Salvatoris, quam, retento utroque pede, utraque manu, utroque oculo, lapidem evadere offensionis.

---

[1]) Jacob. 1. [2]) Rom. 12.

Digitized by Google

Alterum, quod specialiter memorandum habemus, est spiritus Orationis. Quanti sunt hoc aevo nostro Sacerdotes, qui non modo consuetas proborum Catholicorum, etiam saecularium, preces frequenter negligunt, non modo examen conscientiae, et pias meditationes insuper habent, sed ipsum etiam horarum canonicarum officium, tot Concilliis et constitutionibus ecclesiasticis, sub gravi reatus onere, cunctis, in majoribus Ordinibus constitutis, praescriptum, aut perfunctorie admodum persolvunt, aut plane, temerata conscientiâ, intermittunt, variis praetextibus se coram interno suo judice exculpare adlaborantes: qui tamen non sunt nisi praetextus ad excusandas excusationes in peccatis. *Orationi instate*, ait Apostolus, *vigilantes in ea, in gratiarum actione* [1]) Quippe nemo dat, quod non habet; quomodo ergo instillabit in corda fidelium Sacerdos pios religionis sensus, tenerum erga Patrem coelestem, et Jesum Redemptorem, amorem, spem, fiduciam in misericordia ejus, quomodo aperiet ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, nisi ipse haec intus in suo corde persentiscat, quomodo autem ea persentiscet absque assidua oratione? aut quomodo non evanescat spiritus ejus interior in auras hujus mundi, in vanitates sensuum exteriorum, quomodo tantis undique tentationibus resistat firmus et integer, si non pia ad Deum oratione, piis meditationibus, divino hoc animae pabulo jugiter fuerit usus? *Oratio*, ait S. Augustinus certo loco: *est animae sanctae praesidium, angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, et poenitentiae religio, laus tota, perfecta gratia, spes certa, sanitas incorrupta.* Et S. Hieronymus [2]) *Jejunio passiones corporis, oratione pestes sanandae sunt mentis.* Et pulchre Joannes Cass. [3]) *Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina. Hujus versiculi oratio in adversis ut eruamur, in prosperis ut servemur, ne*

[1]) Colos 4. [2]) super Marc. [3]) in Collat. 10 Isai.

Digitized by Google

extollamur, incessabili jugitate fundenda est; hujus igitur versiculi meditatio in tuo pectore, indirupta volvatur: hunc in opere quolibet, sive ministerio, sive in itinere constitutus decantare non desinas; hunc et dormiens, et reficiens, et in ultimis naturae necessitatibus meditare. Credite mihi Fratres, Filiique dilectissimi! Sacerdos, orationis spiritu destitutus, vappa est evanida, quae nunquam convertet ad justitiam peccatores; glacies est, quae non potest accendere in cordibus hominum flammam aeternae charitatis; aes sonans est, et cymbalum tinniens, quod non potest veros, et salutares producere Evangelii fructus.

Tertia ex iis Sacerdotis dotibus, quibus irruenti morum corruptioni potissimum resisti posse existimamus, est verus salutem animarum operandi zelus. Sunt, quod dolet dicere, nec pauci, Sacerdotes, qui muneris sui partibus egregie se functos existimant, si praestabilita hora SS. persolvant Missae sacrificium, certis diebus sacrum ad concionem sermonem dicant, catecheticas pubis institutiones non negligant, desiderantibus Sacramenta dispensent; parum de eo, quem hae suae functiones ad sanctificationem fidelium operentur effectu, solliciti. Sed vero haec nullatenus sufficiunt. Nisi enim sic offeratur per Vos SS. Missae sacrificium, ut digna tanti mysterii pertractatione, pietateque Vestra, fides fidelium, et devotio alatur; nisi sic per Vos dispensentur coelestia Sacramentorum charismata, ut fructus divinae gratiae omnino in percipientium vita propululent; nisi sic erudiantur per Vos parvuli, sic solidiori cibo nutriantur adulti, ut omnino crescant in agnitione veritatis, crescant in virtute, in pietate: non est, quod de rite expletis vocationis Vestrae partibus gloriemini. *Praedica verbum*, ait S. Paulus Apostolus [1]), *insta opportune, importune, argue, obsecra; increpa, in omni patientia, et doctrina.* Item [2]), *Tu vero vigila, in om-*

[1]) 2 Tim. 4. [2]) Ibidem.

Digitized by Google

nibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple. Verum est, quod nostrum non sit nisi plantare, et rigare, divinae autem gratiae sit dare incrementum. Sed tamen perquam multum dependet a modo, quo quis plantat, quo rigat; multum dependet ab eo, num Sacerdos mercenarii aut opificis instar, suum perficere munus pergat, num vero in eo suam reponat gloriam, ut eos, qui suae sunt crediti curae, reapse etiam reddat meliores, beatiores, aptos olim portis aeternalibus? Esurire debet, et sitire salutem fidelium Sacerdos, Parochus, et non aget perfunctorie quidquam, non horam, quam sibi habet praestitutam, sed fructum, quem videre cupit, laboris sui meditabitur; non quidquam ipsi erit tam arduum, tam salebrosum, quod non subeat lubenter, modo lucrari possit animam, quam scit, pretioso Christi sanguine esse redemptam. Ubi, longiori praesertim tempore, sic animatus sacer Curio praeest caetui fidelium, ibi passim ordo in divino cultu, juventus bene placita suae religionis edocta, ibi pietas christiana, praeceptorum Ecclesiae custodia, omnis auctoritatis reverentia viget; inde procul impudicitiae, blasphemiae, procul indifferentismi, aliorumque vitiorum monstra depulsa videntur; ut adeo ex conformatione populi haud temere ad zelum Pastoris formari possit conclusio.

Quarto loco specialiter Vobis commendandum habemus Fratres, Filiique dilectissimi! ut ne ullus Vestrum, seu in prodigalitatis, parte ab una, seu in avaritiae, parte ab altera, suspicionem se induci patiatur. Alterum illud summam animi levitatem arguit, et malam affectuum coordinationem. Qui rem suam domesticam ordinare nescit, passim in spiritualibus quoque, immo in propriae conscientiae suae rationibus inordinatus est: et severioris expers virtutis. Porro Sacerdos, alienis gravatus nominibus, se indecoris exponit impetitionibus, nec facile, in tanta fluctuum agitatione, eam, quam sublime ejus munus deposcit, retinere

Digitized by Google

potest mentis serenitatem, animi tranquillitatem. Quid, quod iniquae aliorum depopulationis jure subsumatur, quodve, post suum quoque ex hac vita decessum, loco aestimii, desiderii, quod post se relinquere debebat, non raro cavillationibus, dicteriis, immo et imprecationibus horum, quos culposa sua agendi ratione fraudavit, semet, cum gravi bonorum omnium scandalo, reddat obnoxium? — Avaritia, quae est idolorum servitus, fortasse detestabilior etiam est opposito suo, prodigalitate. *Conturbat domum suam*, ut legimus in Proverbiis, [1]) *qui sectatur avaritiam:* et juxta Psalmistam: [2]) *Promptuaria avari plena, et pauperes vacui.* S. vero Augustinus dicit: [3]) *Quum avaritia alicui dominatur, subjectus malis omnibus demonstratur; quia de avaritia omnia mala oriuntur, et peccatorum omnium spinae producuntur.* Item S. Ambrosius in quodam Sermone: *Non minoris est criminis habenti tollere, quam cum possis, et habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum, quod tu includis; miserorum redemptio pecunia, quam tu in terra fodis; tantorum scias te invadere bona, quantis possis praestare, et nolis. Non sunt bona hominis, quae secum ferre non potest, sola misericordia comes est defunctorum.* Et sane, vix est vitium aliquod, quod citius, ac certius privet Curatorem animarum aestimio, ac amore suorum, quam avaritia; quomodo enim suspicere, quomodo diligere possint Sacerdotem, qui ad id est missus, ut thesauriset thesauros non deficientes in vitam aeternam quem tamen caducarum rerum aviditate agitari conspiciunt; qui pater deberet esse pauperum, consolator afflictorum; sed cujus cor habendi cupido induravit sic, ut nec singultus audiat, nec lacrymas videat esurientium, nudorum, afflictorum? Tanto autem magis est pernitiosa avaritia, *quod*, ut ait quodam loco S. Hieronymus: *Cum caetera vitia senescente homine*

[1]) Proverb. 15. [2]) Psalm. 143. [3]) De lib. arb.

Digitized by Google

senescant, sola avaritia juvenescit. Et tamen juxta S. Gregorium: [1]) *bonorum auctori aliter inhaerere non possumus, nisi, cupiditatem a nobis, quae omnium malorum radix est, abscindamus;* et, *cum longa nostra desideria increpat vita brevis; incassum multa portantur, cum juxta est, quo pergitur.*

Modestia clericalis ex eorum pariter virtutum est numero, quas Vobis, Fratres, Filiique dilectissimi! specialiter commendandas censuimus. Hic quoque aurea mediocritas inter duo extrema tenenda est. Quippe ecclesiasticus vir, bardis moribus, gestu, habituque inculto, aut plane sordido primo quodammodo obtutu, eorum quibuscum rem habet, praesertim cultiorem educationem nactorum, oculos offendit, nec facile amorem, aut fiduciam ipsorum, quae necessaria sunt ad felicem operationum suarum eventum elementa, sibi potest emereri. Vilipenditur hoc pacto, et cum persona ipsius vilipenditur persaepe ipsum ejus ministerium. Sed non minus, immo fortasse periculosius etiam malum est priori oppositum, vanitatis quippe, et mundanae levitatis vitium; quod pariter primo se obtutu prodit in quaesita ista habitus, gestus, comae capitis conformatione, quae ne gravem quidem saecularem virum decet, multo minus clericum in sortem Domini vocatum. *Sobriam a turbis gravitatem*, ait S. Ambrosius: [2]) *severam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vendicat sacerdotalis.* Et quam pulchre, quam vere hanc in rem S. Bernardus: [3]) *Vanum cor, vanitatis notitiam ingerit corpori; exterior enim superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta, animi mollitiem indicant; non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens, inculta virtutibus.* Videlicet vanus idmodi Sacerdos ipsa forma sua exteriori demonstrat, se non aeternos dies, non lucra animarum, non christianam perfectionem, sed alia longe animo suo volvere, quaerere, meditari.

[1]) Hom. 33. sup. Evang. [2]) Epist. 6. [3]) In Apolog.

Digitized by Google

Nil porro vocationi clericali magis congruit, nil ornat magis, ac amabilem reddit Sacerdotem, quam mitis, et mansveta conversatio; contra, praeceps ad iram indoles, barda, et immansveta agendi ratio, prout a Dei Salvatoris nostri, qui mitem se, et humilem corde professus est, doctrina, quam longissime abludit: sic intervertit fidelium erga Pastorem suum amorem, minuit fiduciam, in fine odia creat, et simultates. *Omnem ostendentes mansvetudinem ad omnes homines*, monet Apostolus. [1]) Si autem Sacerdotem in omni sua actione oportet esse mansvetum; haec praesertim virtus, dum instruit, dum docet, dum Sacramenta administrat, aut ad haec ministranda interpellatur, dum denique quaqua ratione in sacri sui muneris constituitur exercitio, eundem ornet, nec unquam deserat, est necesse. *Nil est*, ait S. Hieronymus: [2]) *foedius praeceptore furioso, qui cum debeat esse mansvetus, et humilis ad omnes, ex diverso torto vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effraenatis superciliis, facie inter pallorem, et ruborem variata, clamore perstrepitat, et errantes non tam a bono retrahit, quam ad malum sua saevitia praecipitat.* Profecto, qui sola consectatur lucra animarum, qui sublimitatem vocationis suae in corde persentiscit, quantumvis secus irritabilem a natura nactus esset sanguinem, tamen nunquam ad talia, quae ab animo, tenerioribus religionis, benevolentiae, humanitatis sensis exculto abhorrent, ad indecoras istas, et triviales expressiones se abripi patietur; minus ad talia, quae quivis in rudissimo quoque non potest non abominari. Denique

Quod non possumus sufficienter commendare Vobis, Fratres, Filiique dilectissimi! est lectionis studium, amor literarum. Imprimis quid aget Sacerdos, cui lectio nausea est, et liber abominatio? ubi vacuis a muneris sui exercitio horis, praesertim longis brumalis temporis vesperis, quaeret re-

[1]) Tit. 3. [2]) Sup. epist. ad Tit.

Digitized by Google

fugium? quid occipiet ad traducendum, quod sibi oneri est, tempus? an non vanas consectabitur conversationes? an non venationes, folia, pocula, et quae his adhuc deteriora sunt alia? *Otium sine literis*, pulchre ait Seneca: [1]) *mors est, et vivi hominis sepultura.* Item [2]): *Studia te clarum et nobilem efficient, sine studio aeger est animus.* Item: [3]) *Studia etiam saluti corporis prosunt. In remedium enim cedunt honesta solatia, et quidquid animum erexerit, etiam corpori prodest.* Quippe mens literarum studiis exculta, in sui aestimium rapit etiam invitos; certo virum, hac cultura praeditum, non possis non aestimare, etiamsi corpore Aesopi praeseferat deformitatem, cum paupertate luctetur, etiamsi in privata degat obscuritate; contra, literarum rudem, et ignorantem suspicere vix queas, licet purpura videas ornatum, licet opibus innatantem. Olim Sacerdotes pene soli erant literarum, et eruditionis depositarii; hinc illa caeterae multitudinis erga ipsos veneratio. Nunc omnes pene saecularium hominum classes literarum replentur cultoribus, omniaque eruditionis, et cognitionum genera magis in dies magisque apud ipsos efflorescunt; nos Ecclesiastici remanemus passim, et eripi nobis patimur, quae antea Clerum tam fecit venerabilem, laudem literarum. An igitur mirum videri debet, si vilipendamur etiam per eos, qui non forent secus averso erga nos animo? Tempora illa, charissimi! quibus ipsa sufficiebat vestis sacerdotalis ad indendam hominibus erga ecclesiasticum virum venerationem, praeterlapsa sunt; in praesentia personales tantum mentis, et animi dotes possunt nobis aestimium conciliare. Vilipensis autem nobis ministris, mox utique ipsa cui inservimus, sanctissima licet, et beneficentissima doctrina, res ipsa sacrosanctae Religionis nostrae contemnatur, aut saltem magis indies, evilescat, est necesse.

Quum ad studia literarum Vos hortamur, Fratres, Filiique dilectissimi! haud illam profanorum, pseudo — philoso-

[1]) Epist. 87. [2]) Epist. 21. [3]) Epist. 81.

Digitized by Google

phiae scitis refertorum librorum colluviem intelligimus, quae tantopere depopulatur prurientia aevi nostri ingenia; aut pestem illam inanium fabellarum, quae imaginationem, juvenilis praesertim, utriusque sexus aetatis, illusoriis replet phantasmatibus, nec alio, quam ad innocentiae, veraeque christianae virtutis subruitionem tendit, et incitat; haec reprimere potius, ad Vestrae pertinet vocationis partes; dehortari a talibus curae Vestrae creditos; eoque omnimode elaborare: ut quae illinc in animos profluunt venena, salutaribus Vestris consiliis, Vestris unctione sacra refertis sermonibus, privatis quoque institutionibus, minus evadant pernitiosa; incipiantque sub Vestra spirituali directione constituti talia fastidire, et bonorum potius, ad veram prosperitatem ducentium, librorum lectioni vacare. Caeterum haec nequaquam eo accipi volumus, quasi retinere Vos, aut dehortari cupiamus ab honestis profanarum quoque artium studiis; immo vero haec, ut ex altius dictis facile poteratis collimare, majorem etiam in modum Vobis volumus commendata: praesertim si ea aestimium Vobis et amorem possint conciliare multorum; si utiles Vobis praebeant ad sustinendam rem familiarem cognitiones, si aptos reddant, ad sobria fidelibus Vestris, in melius ordinandis oeconomiae suae rationibus, consilia suppeditanda. — Sed tamen quum Vobis assiduam commendamus in studiis literarum contentionem, intentio Nostra ad sacratiores cumprimis se refert literas; ad illa studia, quae Vobis augeant scientiam sanctorum, quae Vos aptiores in dies reddant, ad gravis muneris Vestri partes exactius, plenius, efficacius adimplendas. *Si enim divinarum scripturarum doctor, ac debellator erroris, debet* ut ait S. Augustinus: [1]) *et bona, et mala dedocere, et hoc opere, et sermone conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus quid expectare debeant, intimare;* si juxta S. Chrysostomum: [2]) *Sapientissimum esse oportet, et perspicacem in omnibus Sacerdotem, et mille, ut di-*

[1]) De doct. Chr. [2]) De dign. Sacerd.

Digitized by Google

ctur, omni ex parte oculos habentem; quippe qui non solum sibi, sed etiam populo vivit; si ars artium est cura animarum: quomodo non eniti omnimode debeat Curio sacer, praeco verbi divini, Catecheta, Confessarius, pater fidelium suorum, institutor, censor et consolator, ut se tam ardui muneris exercitio, ad omnem amussim explendo, reddat idoneum? ut in perplexissimis etiam rerum adjunctis adesse possit consilio, opera, auctoritate? ut retundere possit, cum dignitate, tela ignea nequissimi, quae tam acerbe, tantaque sub formarum varietate, jaciuntur adversus salutarem doctrinam, et Ecclesiam sanctam Dei? *Si Sacerdos est, sciat legem Domini,* ait S. Hieronymus, [1]) *si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse Sacerdotem Domini: Sacerdotis enim est scire legem, et ad interrogationem respondere de lege.* Itaque sit cibus Vester quotidianus, Fratres, Filiique dilectissimi! lectio Scripturarum sacrarum; sint deliciae Vestrae SS. Patrum Ecclesiae, tam multifariae eruditionis, tantae unctionis opera; sint solatia Vestra libri, qui Vos ad fructuose excolendum dominicum agrum manuducant, qui spiritum vocationis Vestrae incendant, et alant divinum ignem in pectoribus Vestris. Hunc in finem, caetera inter singulariter commendamus Vobis catholicorum theologorum, quae ephemeridum instar eduntur, elucubrationes. Scriptorum hujusmodi insignis, in Germaniae praesertim ditionibus editur copia et varietas. Scripta hujusmodi ingenium exacuunt, mentem utilibus ditant cognitionibus, salutarem religionis zelum in legentium pectoribus incendunt, multifaria sua varietate oblectant etiam. Lectio pagellarum idgenus Vos progressivum literaturae theologicae cursum edocebit; quid catholico in orbe, quid apud aliter sentientes agatur? instruent; solatiis, existimationi, utilitatibus Vestris, quemadmodum in aliis regionibus, Dioecesibusque docet experientia, mirum in modum subservient. Neque existimare debetis, gravibus haec venire impendiis; noscimus

[1]) Super Agg. Proph.

Digitized by Google

Dioeceses, in quibus Clerus per singulos Districtus decanales, seu Vice-Archi Diaconales, sextupplicis, et amplius ordinis hujusmodi tenet ephemerides theologicas, quas via solita, in Districtu ad circulum positas, quivis districtualis Sacerdos certo dierum numero apud se potest retinere, et quilibet hanc tantam utilitatem tribus in anno, quatuorve redimit vicesimariis. Idipsum, initis simul consiliis, apud Vos quoque, etiamsi quoad duas tantum tresve hujusmodi ephemerides, exiguo ac pene nullo sacrificio Vestro, mox poterit in effectum deduci, pro insigni certe solatio Vestro, uberiori literariae Vestrae culturae profectu, et ipsius sacri Vestri ministerii utilitate. Quod, ut faciatis etiam, Fratres, Filiique dilectissimi! Vos paterne prorsus, ac quo possumus impensius, hortamur, immo et obtestamur.

Et haec sunt, quae Vobis, praesentibus Nostris literis, ob oculos ponenda in Domino existimavimus. Quod initio innuimus, non ambigimus, multiplici docti experientia, ingeminare: tempora mala sunt, et tantopere refrixit fides vivificans mundum, tantopere sacrosancta Religio nostra deficit in animis hominum, ut justo vehementior adhuc strages praemetuenda, immo, verendum videatur, ne penitus auferatur a nobis donum hoc coeleste, et detur genti facienti fructum ejus; nisi nos, quorum manibus pretiosum hoc despositum creditum est, excussa somnolentia, evigilaverimus pro muris sanctis Jerusalem, et posthabitis cunctis saecularibus curis, et terrenis respectibus, unice ad ea, quae sanctae Religionis commoda respiciunt, et salutem, vires nostras, desideria nostra, omnem denique contentionem nostram contulerimus. Quid possit adversis etiam Ecclesiae temporibus Clerus, sanctimonia vitae, doctrina, et vivo zelo praeditus? sat docent complura Germaniae ditionum, ac has inter earum praecipue, in quibus Ecclesia catholica coangustatur multum, et premitur, exempla; docet amplissima Gallorum natio, in qua, non obstantibus horrendis praeteritorum temporum eventibus; non

Digitized by Google

obstante, quod in potestate civili vix aliquod eidem suppetat praesidium, Religio tamen catholica non deficit, immo novis quodammodo successibus, nova pulchritudinis specie efflorescit; quod quidem, post operantem divinae gratiae virtutem, pene soli nationis ejus Clero adscribendum esse, vix est ambigendum; utpote qui, veteris gallicani Cleri gloriam imitatus, sanctimonia vitae, eruditione, et infatigabili prorsus, aerumnis, adversisque frangi nescio zelo, rem sanctae vocationis suae ornat, agit, sustinet. Agite itaque Fratres, et Filii dilectissimi! state succincti lumbos Vestros in veritate, et induti loricam justitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum consilia, destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. De caetero, quod fecimus adusque, non cessabimus pro Vobis orantes, et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia, et intellectu spirituali, et ambuletis digne Deo per omnia placentes. Vos quoque orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione, orantes simul et pro Nobis, ut non deficiant humeri Nostri, impares ferendo, quod eis impositum est, oneri, utque revidere quantocius possimus faciem Vestram, et amatissimi gregis Nostri, et repleamur gaudio spiritus, videntes, quia credidistis voci Nostrae, et credentes amplius signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae, in redemptionem aquisitionis, in laudem gloriae ipsius. Benedictio Patris luminum sit super Vos, et pax Christi exultet in cordibus Vestris, in quo vocati estis in uno corpore. Amen. Datum Posonii sub Generalibus Regni Comitiis die 29. Mensis Januarii Anno Domini 1840.

Georgius *Episcopus m./p.*

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUADRAGESIMALES, FINE INTENDENDI ZELI PASTORALIS, DIMISSAE ANNO 1841.

Venerabiles Fratres, Dilectissimi Filii!

Ingruente jamjam sacro Quadragesimae tempore, Episcopalis Nostri, quod, immeriti licet, divinae tamen voluntatis decreto, supportamus, muneris ratio Nos admonet, ut non subtrahamus Vobis, Fratres, Filiique dilectissimi, verba salutis, quae confirmare Vos possint in cursu vocationis Vestrae, animos Vobis, et calcar indere ad impigre operandum opus Domini, ad fructuose, et salubriter obeundum ministerium Vestrum.

Videlicet, quo vividius persentiscimus onus inhaerens humeris Nostris, reddendae olim, coram severo judice, de credita Nobis villicatione rationis; quove anhelis magis exoptamus suspiriis, ut in insigni illa Dominici agri portione, quae imbecillitati Nostrae in sacram obtigit haereditatem, religio, et vitae christianae sanctimonia non modo nulla sui parte minuantur, sed et magis in dies efflorescant: hoc acerbiori dolore afficitur cor Nostrum, dum divina haec charismata, in Dioecesi Nostra, dehiscere potius, et imminui, quam crescere, et augeri observamus; hocque omni virium contentione enitendum magis Nobis esse intelligimus, ut ne connivuisse taciturnitate Nostra, et exhortationibus, monitis, precibusque defuisse muneri Nostro, per summum olim Pastorem arguamur.

Non ignoramus, Fratres, Filiique dilectissimi, si quando, nunc certe, universum pene mundum in maligno esse

Digitized by Google

positum; ista in dies crescente magis impiorum librorum colluvie, ista humani ingenii, cuncta, quae tenui acumine suo penetrare non potest, dedignantis, arrogantia, ista spiritualia et sublimia contemnendi, solisque materialibus rebus, et sensuum illecebris inserviendi cupidine, veram, vivamque fidem christiano-catholicam, quae tamen sola est humanae salutis basis, sola tuta in naufragio tabula, undique impeti, infringi, et debilitari; non ignoramus illas, quae ex hac fidei christianae strage, apud cunctas pene nationes propululant, omnigenarum impietatum segetes. Sed sperabamus in Domino, Dioecesim hanc, quae peculiari divini numinis benignitate, feliciter adusque in Catholicae fidei conservata est unitate, minorem in hac corruptela universali partem habituram, quam qua eam reapse experimur correptam. Immo tantam in iis, quae ad religionis exercitium, vitamque vere christianam adtinent, apud nos observamus remissionem, quantam non facile alibi sumus experti. In honoratiorum, ditiorumque classibus, religionis zelus refrixit vehementer, perquam extenuata est Sacramentorum, praedicationis verbi divini frequentatio, saluberrimorum Ecclesiae praeceptorum observatio segnis et remissa; in plebe frequens ipsorum fidei rudimentorum ignorantia; in Sanctuario, in Ordine nostro Sacerdotali, non rarae a recto tramite deviationes, immo eventus emergunt, qui non possunt non acerbissimo sensu doloris explere animum Nostrum. Id vero eo magis quod plurium annorum decursu, ipsa Monarchiae metropoli, amplissima urbe Vindobonensi, cunctas Ecclesias pene jugiter repletas viderimus; nec solum inferioris classis, sed et distinctiorum, immo summae dignitatis virorum, matronarumque concursu frequentatas; viderimus nobilissimos, cultissimosque juvenes flectere genua coram coeli et terrae Domino, permultos exemplari cum pietate, publiceque in Sacramentis participare, verbi divini pabulum suscipere; viderimus frequentius, in aliis oris, integros tenellae pubis utriusque sexus ordines,

Digitized by Google

egregie in salutari fidei et morum doctrina instructos, pias ad Deum preces, in Ecclesia, ex precatoriis libellis suis fundentes, aut populo, ad Dei gloriam, propriamque aedificationem, aptis et harmoniosis hymnis concinentes; denique usu didicerimus in diffusissimis etiam Dioecesibus perpaucos solum reperiri Sacerdotes, qui tamquam obortivi, desciscant a sancta vocatione sua, magisque in destructionem, quam aedificationem tendant corporis Christi, obliti ejus, qui pars esse debebat haereditatis suae.

Perspicimus porro, quantacunque sit ministrorum Ecclesiae et vitae sanctimonia, et in explendis muneris sui partibus contentio, vitia penitus eradicari, et ut omnes religiosam, piamque sectentur conversationem, effici non posse; cum caro, et mundus nunquam cessaturi sint suas in animos mortalium inferre strages, neque defuturus sit inimicus homo, id vero est, verus ille humani generis hostis, qui in optima etiam semente spargat zizania. Sed tamen convicti sumus intime, Fratres, Filiique dilectissimi, optatos Evangelii fructus, post divinam gratiam, a nobis praesertim dependere, qui constituti sumus Pastores populorum, et dispensatores mysteriorum Dei. Incredibile dictu, quantum hoc in genere possint Pastores animarum, quos intime penetravit sensus sanctae vocationis suae. Magna est vis virtutis, et veritatis, nec resistere facile potest quisquam, perditissimus licet, altaris et religionis ministro, quem videt non sua, sed animarum, suae curae creditarum, toto corde quaerere emolumenta; quem viva fide repletum, charitate aestuantem, non caduca hujus vitae, sed perennia sedium aeternarum lucra experitur consectari, paratumque cernit ad superimpendendum semet ipsum, modo fratrum suorum spiritualibus possit indigentiis inservire. Ubi Sacerdotium floret literarum studiis, exaestuat prudenti, non amaro, sed fatigari nescio zelo; ardet charitate, quae omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet; praelucet proprio vitae, ad omnem pietatem, et pro-

Digitized by Google

bitatem compositae, exemplo: ibi, Fratres, Filiique dilectissimi, religio, et sanctimonia exulare non potest, immo consolidatur magis, et renovatur. Habemus hujus rei, praeter innumera alia, recentissimum in Galliarum regno documentum: ubi, licet vix aliquod sit humanae malitiae, et monstrorum, religioni adversorum, genus, quo non impetatur sanctissima Fides, Ecclesiaque Catholica; et licet haec pene nullum amplius in legibus, et auctoritatibus publicis habeat praesidium: tamen nedum conservatur in permagna nationis ejus parte, sed novis quodammodo efflorescit successibus; quod quidem nemo unus, qui vel aliquatenus vices ejus populi noscit, addubitaverit, post adspirantem divini numinis gratiam, unice excellenti ejus nationis Clero in acceptis esse referendum. Idem tum de aliis nationibus integris nos docet historia, experientiaque, tum de singularibus etiam locis, et paroeciis, quarum fideles crescunt, vel minuuntur in scientia sanctorum, in fide, in pietate, fere in ratione zeli et sanctimoniae eorum, quos sortiti sunt Pastores animarum.

Non ignoramus quoque, Fratres, Filiique dilectissimi, esse, Vos inter, nec paucos, qui exemplari vitae insignem zelum, et in explendis muneris sui partibus egregiam jungunt adcurationem; immo esse complures, id quod ingenti cum animi laetitia fidedignis percepimus nunciis, qui in ordinatae scholae defectu, parvulos ex commisso sibi grege, in propriis, suis aedibus, in dies coadunant, inque salutaris doctrinae, et literarum rudimentis ipsi informant, charitate et diligentia nunquam satis laudabili; quos quidem honoris causa nominetenus memoraturi fuissemus, nisi convinceremur, eos in ipsa praeclarae suae contentionis conscientia, inque iis, quos ex hoc labore suo provenire cernunt, pulcherrimis fructibus, longe majorem, quam in quibuscunque laudibus reperire satisfactionem. Sed vero, si tantae omni ex parte minitanti tempestati efficaciter volumus resistere; si tot tantorumque, ac pene majoris populi partis refrigescentes in fide ani-

Digitized by Google

mi confricandi sunt, ut incalescant divino religionis igne; si pristinos pietatis restabilire volumus fructus: omnes in aciem nos jungamus oportet, excussaque somnolentia, deposita inanium, et caducarum rerum cura, totis viribus, ut decet sanctos Dei, in opus ministerii nostri incumbamus. Si non colligimus, et quidem strenue, hac praesertim temporis iniquitate, dispergimus; nec possumus servire Deo, et mammonae; nec spes magna affulget, nisi in coadunato exercitu, qui curam omnem subinferens, ministret in fide virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis, charitatem.

Providus porro et frugi agricola, Fratres, Filiique dilectissimi, nequaquam se praebet contentum eo, quod agrum subegerit, sementem jecerit, messem intulerit; sed sic agrum excolit, tam bonam adhibet, et sic apte jacit sementem, tali cura messem peragit, ut uberem laboris sui recipiat fructum. Eadem ratione, ut quis, bonus, dignusque sit Pastor animarum, nequaquam sufficit, ut praestituta hora missae celebret sacrificium; pro concione dicat; dum res urget, Sacramenta administret; stabilito tempore catechisandis non desit parvulis; seque a crudis istis statum sacerdotalem tantopere foedantibus excessibus, et vitiis contineat; sed is vere Pastor, et non mercenarius erit, Deo et hominibus acceptus, qui sic sacris operatur, ut viva fide, et pietate ipse ardens, nil cum praecipitatione, sed cum ea, quam tanta res poscit, dignitate cuncta perficiens, in praesentium quoque animis succendat, et jugiter alat flammam religionis, et devotionis; qui sic populum suum alit verbi divini pabulo, ut convenientem quivis illic reperiat cibum, illuminetur auditorum mens, et flectatur animus, utve, ingenerato virtutis christianae amore, optatum in omni vitae ratione auditorum fructum operetur; sit ipsis antidotum contra quasvis tentationes, sit fortitudo, in

Digitized by Google

qua possint ambulare usque ad montem, qui est Christus Jesus, et vita aeterna. Illum porro dixerimus verum, dignumque Pastorem, qui lac doctrinae salutaris sic norit instillare parvulis, ut hi illud non modo non refugiant, sed, dulcedine ejus inescati, tale uberius etiam haurire desiderent; qui tam apte semen verbi inserit tenellis pubis suae cordibus, ut omnino radicem illic figat, quae excerpi amplius non possit, utve crescat subin in arborem, ferentem fructum centuplum. Illum existimabimus dignum sua vocatione Pastorem, qui sic dispensat credita suis manibus Sacramentorum charismata, ut in animis percipientium reapse operentur eam, cujus impertiendae causa instituta sunt, gratiam; ut sint vera adversus tela quaevis nequissimi remedia, bonorum affectuum nutrimentum, virtutis, omnisque perfectionis vehiculum. Denique eum perfectum reputabimus Pastorem animarum, qui habitu, gestu, conversatione, omni denique vitae suae tenore, puritatis, mansvetudinis, modestiae, sobrietatis, justitiae, aliarumque virtutum praesens, et vivum quodammodo, ex quo jugiter normam actionum suarum desumere possint fideles, se praebeat exemplum; quem boni diligant, sed et improbus suspiciat, et ipse qui ex adverso est, vereatur nihil habens de ipso dicere mali. Tales si fuerint Pastores animarum, machinationes malignantium, credite mihi, non proficient, nec arma perversae philosophiae obfuscare poterunt veritatem, florebitque religio, et regnum virtutis; nec ipsae adversus illud inferi portae poterunt praevalere.

Fratres, Filiique dilectissimi, tempus breve est, et non habemus hic manentem civitatem, sed aliam beatiorem inquirimus; et strictas nos oportebit villicationis nostrae reddere rationes: ex nostris quippe manibus repetentur animae, quae nostrae sunt fidei commendatae. Sed et in mortali hac vita omnis gloria nostra in efficacia muneris nostri, in fructibus Evangelii est reposita. Nolite committere, ut donum hoc de coelo delapsum, quo nullum unquam humano generi fuit salu-

Digitized by Google

brius, sacrosancta quippe Religio nostra, sub nostra dispensatione magis adhuc intercidat, et enervetur. Vae nobis, vae mundo, si sic evenerit; non est aliud nomen datum hominibus, in quo eos salvos fieri oporteat. Vae nobis, si cum veritate dici de nobis potuerit: ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam; aut si audire aliquando debuerimus: facti sunt greges mei in rapinam, et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri, quia non quaesierunt Pastores gregem meum, sed pascebant semetipsos, et greges meos non pascebant.

Agite Fratres, Filiique dilectissimi, et quemadmodum omnes filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Jesu, et omnes accepistis gratiam per impositionem manuum Nostrarum, aut praedecessorum Nostrorum, ita omnes tota virium contentione collaborate Evangelio, secundum virtutem Dei, qui vos liberavit et vocavit vocatione sua sancta. Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in dic malo. State succincti lumbos Vestros in veritate, et induti lorica justitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Arma enim Dei ad destructionem munitionum, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi. Nulla autem ad haec tutior via, quam ut ipsi per ferventes orationes, meditationes sacras, et pium ad solitudinem animi regressum, per abstinentiam, et subactionem appetitus sensuum, suscitetis in cordibus Vestris fidem illam vivam, et sanctam, quae omnium est fundamentum virtutum, et sine qua in vanum cuncta recidunt, quaeve caeteras omnes et progerminat, et nutrit virtutes. Quodsi divino hoc igne incensa fuerint pectora Vestra, prorumpet is, nec contineri illic poterit, sed calefaciet indubie salutari calore suo multos, et illuminabit abscondita tenebrarum. Quo quidem suapte quasi Vos invitat ingruens sacrae Quadragesimae tempus, his alendis piis affectibus imprimis

Digitized by Google

destinatum, invitat S. Mater Ecclesia, invitat propria salus Vestra, invitat vox Praesulis Vestri, diligentis vos in visceribus Jesu Christi.

Quod adtinet ad rationes Abstinentiae, et Jejunii Quadragesimalis, modosque dispensationis; ea, quae praeteritis annis defiximus, hoc quoque anno valere volumus, et observari. Hortamur tamen Vos, ut quantum temporum, prudentiaeque ratio quoquomodo permiserit, vires Vestras ad restabiliendam adeo salutarem hanc benignae Matris Ecclesiae disciplinam, conferatis: ne magis magisque evanescentibus iis, quibus imperium spiritus stabilitur, lex carnis, et appetitus sensuum dominatum undique exerceat, et mundus, laxatis sublimioribus vinculis, penitus in materiae barathrum praecipitetur.

De caetero Fratres, Filiique dilectissimi, pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda Vestra, et intelligentias Vestras, et pax Christi exultet in cordibus Vestris; ad quod paternam Vobis benedictionem toto cordis Nostri affectu impertimur. Datum Zagrabiae, in Residentia Nostra Episcopali die 31. Januarii anno Domini 1841.

Georgius *Episcopus m./p.*

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUIBUS SCHOLARUM VERNACULARUM INSTITUTUM URGETUR, DIMISSAE ANNO 1841.

Reverendissime, vel Adm. Rever. Domine Vice-Archi-Diacone etc.

Uberes fructus et commoda, quae e meliori succrescentis pubis educatione, ac institutione, vehiculo scholarum vernacularum, in sacro-sanctam Religionem, moralitatem, omnigenamque Patriae prosperitatem dimanant, titulatae DD. Vestrae facile mente assequuntur, meaque eam in rem sensa e tenoribus literarum encyclicarum, quas sub 9. Januarii 1839 dimisi, plene intelligere potuerunt. Sane ad genium praesentis, quod vivimus, temporis, nationumque studia animum reflectentes, facile advertimus, multiplices cognitiones, variarumque artium professionem, apud populos indies magis propagari, industriam efflorescere, et mores humanitate gratiores reddi; e contrario ruditatem eorum, qui pristino quodam torpore detenti, in cultura mentis tardiores progressus faciunt, opprobrio esse non modo ac vilipensioni, sed et simplicitatem talium, dolis, ac perversioni, minus recte de vera in Deum fide sentientium, plurimum exponi, atque vafritie hostium sanctae Dei Ecclesiae, sublestisque eorum blandimentis a salutis semita in insanias falsas facile pellici.

Quo magis pastoribus animarum, quibus sanctissimum Fidei depositum custodire datum est, quique plebem sibi

Digitized by Google

creditam pascere debent in scientia, et doctrina, omni contentione etiam in adminiculis hujus procurandae elaborandum est, ne fideles iis, qui nobis ex adverso stant, virusque errorum suorum in omnes partes, improbo nisu diffundere gestiunt, ob tenuem instructionem cedant in praedam et devorationem, neve cuniculo tenebrarum ignorantiae, nobis dormientibus, veniat inimicus et superseminet zizania in medio tritici; teste enim Spiritu sancto: propterea captivus ductus est populus, quia non habuit scientiam; et, qui evitat discere, incidet in mala.

Tum itaque ideo, tum, quod experientia, occasione etiam sacrae Visitationis capta, compertum habeam, proles in Parochiis iis, ubi jam scholae vernaculae indroductae sunt, principiis sanctae Religionis, morumque praeceptis longe melius, quam in aliis imbutas esse, amplioresque conceptus suos, instituto e Doctrina Christiana examine, conformibus responsis manifestare; non moror identidem zelum et solicitudinem tittlarum DD. Vestrarum ad succolandum omni meliori modo, ac promovendum Institutum scholarum vernacularum provocare. Exemplo sane laudabili nobis praeiverunt vicinae provinciae, uti et Regnum Hungariae, eodem legalis systematis foedere nobis intime junctum, ubi non tantum omnes fere Parochiae, sed et pleraeque majores possessiones filiales, scholis vernaculis provisae sunt. Ne salutare hoc institutionis medium, cum manifesto detrimento, plebi patriae ultro desit, ab influxu sacrorum Curionum quem in ejus corda exerunt, fiducia, amore, solertique cooperatione, mihi ut plurimum polliceor, eo magis: quod indubium sit, per Scholas rite coordinatas, labores pastorales Curatoris animarum, respectu instructionis religiosae egregie adjuvari, dum, quae in Scholis proles e memoria percipiunt, per Sacerdotem sibi explanata, facilius menti imprimunt, et fidelius retinent, subsequa vero aetate, lectionis gnarae, quae olim didicerunt, repetere, suisque ampliores cognitiones instil-

Digitized by Google

lare possunt; quod quidem eo majoris pretii existimandum est, cum miserae rudium parentum proles, sola, quam brevi tempore in Ecclesia accipiunt instructione catechetica, tantum vix proficiant, quantum ad excipiendos subin cum fructu spirituali formatos sacros sermones necessarium est.

Magna animi mei cum acquiescentia, et consolatione informor, ab anno 1839 in compluribus locis, desideratas consurrexisse scholas, laudabili opera, zelo, et cooperatione sacrorum Curionum potissimum introductas; informor etiam complures Parochos hoc ipsum imprimis in votis habere, et in consequendum parem scopum, toto nisu, quo in religionis incrementum, bonum moralitatis, et humanitatis, promovendamque omnigenam commissi gregis prosperitatem feruntur, intentos esse. Quo majori cum fiducia ad ulteriores hac in re passus figendos progredior. Et, siquidem generalem aliquam eatenus cynosuram praescribi, salubriaque vernacularum scholarum instituta, non ubique aequaliter, ac repente introduci posse perspiciam: eo saltem elaborandum mihi intelligo, ut, ubi favorabilia adsunt rerum adjuncta haec omni, quo licet meliori modo, jam nunc in optatum finem convertantur. Comperi quippe per decursum servatae sacrae Visitationis, in compluribus Parochiis reperiri Organædos, certa dote jam provisos, qui praeter dies festos in munere suo exactos reliquo tempore proficua occupatione destituuntur; item Notarios Communitatum, qui, si exigua adhuc emolumenta ipsis adjiciantur, vices Magistrorum scholae obire non refugerent, dominia terrestralia, si res iis serio, et convenienter proponatur, a conferendis pro scholis mediis haud quaquam alieno esse animo; præterea dari in plerisque locis certum tale aedificium, aut in amplioribus curiis parochialibus vacuum aliquod cubiculum, quod usque ulteriorem provisionem usibus pubis scholaris deservire posset. In hujusmodi locis, modo seria ex parte Cleri accedat voluntas et cooperatio, scholae vernaculae, quantumvis sub initium tenuis, introduc-

Digitized by Google

tio non potest magnis esse obnoxia difficultatibus. Ideo ad capiendam uberiorem et congruam hoc in merito notitiam, ope harum dispono: ut quivis Curatus, in cujus Parochia schola vernacula nondum introducta est, mihi via Vice-Archidiaconali adaequatam relationem praestet super sequentibus:

1-mo. Quid hactenus, et in specie a tempore meae anno 1839 factae provocationis, intuitu introducendi instituti scholaris fecerit, an, et qualia in rem subsidia comparaverit?

2-do. An Organædus, aut Cantor in Parochia adsit, et qualem dotem pro se defixam habeat, aut qualibus nefors populi, et benefactorum oblatis sustentetur?

3-tio. Utrum communitas parochialis Notarium habeat, qualemve is adjutam praetenderet, erga obligationem una proles in scholis instruendi?

4-to. An hi mox memorati quarterium gratuitum, et quale habeant?

5-to. An aliqua Ecclesiae, aut communitatis domus praesto sit, ubi proles frequentaturae interea accomodari possent, dum aedificium scholare exstrueretur, vel an id non in habitatione Organaedi, Notarii cum modica nefors adaedificatione fieri posset?

6-to. Utrum curia parochialis ejus amplitudinis sit, ut unum cubiculum citra gravius incommodum interimaliter scholaribus cedi posset?

7-mo. An populus ad conferendam pro scholae Magistro dotem provocatus sit, et quales promissiones fecerit, anve contractus eatenus stipulatus?

8-vo. An tenutum aliquod, et fundus scopo hoc haberi possit?

9-no. Num domini Collatores, aliique in gremio Parochiae possessoria habentes, ad concurrendum pro scholae Magistri sustentatione, et necessarii aedificii positione convenienter provocati fuerint, quidve promiserint?

Digitized by Google

10-mo. Quis modus, spectatis quibusvis adjunctis, opinione Parochi maxime accommodus foret, scholam fundandi, et introducendi?

Relationes vero, praevio modo adornatas, DD. Vice-Archidiaconi a suis districtualibus colligent, et una cum consignatione Parochiarum Districtus sui, in quibus scholae jam exstant, item in quibus adhuc desiderantur, intra bimestre spatium a dato perceptionis praesentium computandum, horsum ad me transponent. Datum Zagrabiae in Arce solitae residentiae Nostrae Episcopalis die 3-tia Novembris 1841.

Georgius, *Episcopus m/p.*

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUOAD PRAESTANDAS RELATIONES TABELLARES DE CATECHETICA INSTITUTIONE, ANNO 1842 DIMISSAE.

Reverendissime vel Adm. Rde. Dom. Vice-Archidiacone!

Gavisus sum gaudio magno valde, dum in sacro Visitationis canonicae opere haud pridem constitutus comperissem: conformiter ordinibus ddto. 31-ae Octobris anno 1838. quoad servandas in Dioecesi nostra Catecheses editis, tenellam Dominici gregis portionem, in bene multis Parochiis, in via mandatorum Domini, cum multiplici foenore instrui, dirigi, et exercitari. Sed et angustiabar nimiopere, in nonnullis locis comperiens: parvulorum alios, ad vocem exhortantis Pastoris sui, obturasse aures suas; alios, quasi dispersas oviculas eo, quod rarius ad hauriendam salutarem doctrinam comparerent, laudatae institutionis solatia adusque vix, ac ne vix quidem persensisse. Praeter solitas excusationes illas, quod proles in aestate propter pascua, in hyeme vero ob defectum tutantium, contra rigorem frigoris vesticularum, cumprimis e magis distantibus a Matre filialibus, pro praescriptis catecheticis institutionibus comparere nequeant; eam minus prosperi istius dispositionis meae in nonnullis Parochiis successus, causam per ipsos animarum Curatores allegari observavi; quod institutiones hae, non matutino tempore, quo populus ad satisfaciendum Ecclesiae praecepto, pro auditione SS. Missae sacrificii comparere solet, debetque, sed

Digitized by Google

pomeridiano, quo reversi ante meridiem ad propria fideles, aegre altera rursum vice, ad Ecclesiam parochialem comparere possunt, asservandae disponantur.

Quod attinet ad istam, ex pascuationis necessitate desumptam exculpationem; rem non minimae difficultatis esse, satis quidem intelligo: plene tamen mihi persvadeo; hanc non esse talem, quae non magna sui parte tolli, aut saltem insigniter imminui possit, per iteratas, easque pastorali sollicitudine plenas populi parochiani adhortationes, eo signanter dirigendas, ut parentes, immortales prolium suarum animas nolint minori, quam pecora sua prosequuntur, attentione dignas existimare; utve pauculis illis horis, quibus proles pro haurienda salutari doctrina ad Ecclesiam concedere debent, ipsimet potius, aut adultiores, in pascendo pecore earum vices supplere, aut fota cum vicinis cointelligentia, in alternativae cujusdam, in pascendo pecore, successionis ordinem coalescere velint; quod quidem tanto facilius fieri posse existimo, quod de diebus solum Domini, festisque agatur, quibus caeteroquin ruricolae, a publicis, dominalibusque vacant loboribus. Vesticularum defectus etiamsi justam quandoque pro brumalibus mensibus importet excusationem; pro aestivo tamen, magnaque parte vernali, et authumnali tempore acceptari non potest, cum desiderari a paupere plus non possit, quam patiatur ejus conditio, sufficiatque cum aliqua munditiei praeparatione venire ad domum Patris coelestis, qui non respicit cultum vestium, sed cordis puritatem et virtutum ornamenta. Denique, quod pertinet ad difficultatem, ex temporis pomeridiani ratione desumptam; haec, eo minus cum fundamento potest allegari, quo expressius in ipsis primitivis, circa catecheticas has institutiones, editis ordinibus exceptioni hac in parte locus relictus fuit: in quantum videlicet DD. animarum Curatores, majorem pro populo fructum redundaturum pro rerum, locorumque adjunctis perspicerent, si institutio matutinis potius quam pomeridianis horis praesu-

Digitized by Google

sciperetur. Quippe ipse Salvator, et Magister noster Christus Dominus, in terra et mari, in foro et compitis, jam palam et publice, jam multos, jam singulos, aut pauciori numero collectos seorsim docere fuerat solitus, nobis relinquens exemplum, non esse alligandum verbum Dei, sed eo loco et tempore dispensandum, quo plurimum possit adferre fructum ad salutem. Itaque hisce rursum declaratur praetitulatis DD. Vestris: tempus quidem institutionis pomeridianae pro regula esse porro considerandum; sed non tam determinata, ut ab ea recedi non possit, dum manifesta adest spes institutionis, antemeridianis horis cum majori utilitate praesuscipiendae.

Quapropter normam institutionis catecheticae provocatis ordinibus determinatam, hisce renovando, una tittlis DD. Vestris, majorem in modum etiam atque etiam commendo: ut tenellam juventutem, tamquam nobilissimam commissi sibi gregis portionem, toto cordis sui complectantur affectu, omnique prosequantur sollicitudine pastorali; talem ad se, opportune et importune, omni tamen cum mansvetudine ac quovis studio pellicere enitantur,munusque institutionis catecheticae irremisso zelo, eaque patientia et charitate explere contendant, quae non possit non captivare animos eorum, in quorum temporalem aeternamque tendunt felicitatem. Quodsi autem cunctis pastoralibus mediis non obstantibus, malitiosam nonnullorum observarent seu socordiam, seu proterviam; eotum dominalium, ac pro re nata publicarum etiam auctoritatum assistentiam, semper tamen cum moderatione, et circumspectione implorent, ac hac quoque nefors denegata, rem ad meam, aut Consistorii mei deferant notitiam, quo sic opportunum adferri queat remedium.

Ut vero de progessu institutionis hujus, statis temporibus dioecesanum Officium certos accipiat nuncios, vigore harum dispono: ut deinceps singuli Parochi bis per annum, quippe cum fine Aprilis, et cum fine Octobris, semestralem relationem juxta

Digitized by Google

adnexum sub ℣. tabellae formular, de numero, fructu, et statu catecheses frequentantium, ex protocollo talium, prae manibus suis habito adornent, medio Districtualis Vice-Archidiaconi sui, Consistorio Nostro substernendam; eo suapte intellecto: in posterum de catechisatione parvulorum nullam secus relationem exigendam fore; bene vero in responsis ad sex puncta normalia semel in anno praestari solitis, ad quaestionem 1-am „de progressu in cura animarum" etiam deinceps usitato adusque more respondendum venire; cum haec ipsa, nequaquam catechisationem parvulorum, sed totius in concreto sumptae cujuslibet parochiae profectum, quoad fidem, mores, susceptionem Sacramentorum, frequentationem cultus divini etc. pro objecto habeat.

Caetera, flectimus genua ad Patrem luminum: ut effundat spiritum super oves nostras, ut agnoscant adhuc in tenera aetate salutare suum, et vocem Pastoris sui libenter audiant, et se vocantem ad pascua vitae aeternae prompte sequantur, ac denique ne declinent, seu ad dexteram, seu ad sinistram, sed in viis Domini recte gradiantur cunctis diebus vitae suae. Zagrabiae die 22-a Januarii 1842.

Georgius, *Episcopus m/p.*

Digitized by Google

Relatio semestralis

de catechisatione juventutis sexus utriusque in Parochia N. pro 1-mo vel 2-do semestri anni N. praestita.

Parochia N. numerat universim animas	Specificatio Possessionum, et harum a matre distantia	Numerus prolium pro catechisatione conscriptarum	Frequentantium, vel ad Instructiones catecheticas comparentium	Cum quali fructu?	Non frequentantium numerus, et quare non?
	Mater:	In Matre 40	In Matre 25		
2994.	Nedelicz.	*In Filialibus*:	*In Filialibus*:		
				bono,	
	Filiales:				
	Szlatkovecz $^3/_4$ h.	— 15	— 11	mediocri,	
	Tottovecz $1^1/_4$ h.	— 9	— 8		
	Puschina $^3/_4$ horæ	— 7	— 7	sperativo.	
					Per N. N.
					Parochum N. N.
Datum	N. die 30.	April. vel 31.	Octobris	anno N.	

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUADRAGESIMALES DE ANNO 1842, QUIBUS CRESCENTI IN DIES INDIFFERENTISMO DUPPLICATA CONTENTIO OPPONENDA INCULCATUR.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii!

Adpropinquat rursus tempus sacrae Quadragesimae; id est tempus, quod, exemplo Salvatoris nostri consecratum, mater Ecclesia peculiari sollicitudine fidelibus suis ad recollectionem mentis, unctionem spiritus, ac exercitium pietatis, omniumque bonorum operum deputavit; tempus, ut ait S. Bernardus, *boni ac salutaris jejunii, quo redimuntur aeterna supplicia, dum remittuntur peccata; jejunii, quod non solum ablutio est peccatorum, sed etiam exstirpatio vitiorum, non solum obtinet veniam, sed meretur gratiam; non solum delet peccata praeterita, quae commisimus, sed etiam repellit futura, quae committere poteramus.*" Quippe hoc praecipue tempore desiderat a nobis eadem sancta Mater nostra, ut orationi, et rerum divinarum, aeternorumque dierum meditationi solito abundantius vacantes, renovemur spiritu, et, abjicientes saecularia desideria, carnemque, et omnem sensuum appetitum, legi mentis nostrae subjicientes, impleamur robore ex alto, ad propriam, et aliorum salutem operandam.

Ipsi optime nostis, Fratres, Filiique dilectissimi, quantus fuerit, florentis Ecclesiae temporibus, fidelium fervor in observando sacri hujus quadragesimalis jejunii rigore? Nostis pariter, quod, posteaquam labefactata fuit prisca Christianorum fides, et refrixit multorum charitas, Ecclesia, tanquam benigna mater, veterem emolliverit disciplinam, et dispensationum gratia succurere gestierit imbecillitati fidelium; ge-

Digitized by Google

mens quidem et dolens, sed aperiens viscera misericordiae suae, ne laqueos injiceret conscientiis eorum, quos olim, de legum praevaricatione strictas justo Judici sciebat rationes reddituros.

Nos quoque, sanctissimorum Praesulum, ipsiusque visibilis Ecclesiae Capitis exemplum secuti, mox primo Nostri ad hanc Episcopalem Cathedram aditus anno, dispensationis beneficio curae Nostrae divinitus creditis fidelibus succurrere festinavimus; quoad videlicet temporum ratio, et rerum adjuncta indulgentiam idgenus imperiose deposcere videbantur. Dispensationem hanc subsequis quoque annis confirmavimus; et ne nunc quidem quidquam in re mutandum, aut innovandum arbitramur; ut adeo, hac in parte, eandem Vobis pro mox ingruente etiam sacro Quadragesimae tempore, quae hucdum praescripta fuit, normam hisce in Domino praestituamus; monentes solum Vos, quo possumus diligentius, ut hac indulgentia non in destructionem, sed aedificationem corporis Christi, non in praevaricationum incitamentum, sed in imbecillitatis succolamen uti, pro Vestra quisque conscientia, ac prudentia contendatis.

Quamvis autem, relate ad legem dispensationis quadragesimalis, nil novi Vobis praescribendum habeamus: continere tamen Nos non possumus, quin aliqua, quae intuitu sacrosanctae religionis nostrae, ex ipsa temporis ratione, persaepe, satque acerbe pastoralem Nostram exercent sollicitudinem, in sinum Vestrum, Fratres, Filiique dilectissimi, ea, qua fratrem ad fratres, patrem ad filios loqui convenit, cum fiducia, ac sinceritate effundamus; continere Nos non possumus, quominus non contendamus subjicere Vobis, etiam sponte currentibus, ad generose terendam salutis viam, stimulos, desumptos ex intimis cordis Nostri penetralibus, ex exaestuante illo desiderio, ministrandi Vobis, Vestraeque curae creditis fidelibus, charismata salutis, in ministerio verbi, in exhortatione, qua et Ipsi exhortamur a Domino,

Digitized by Google

Qui non plane incurius, et ignarus est eorum, quae in mundo hoc, pro diversitate temporum, nationumque se evolvunt, videt, et, si fidem vivam habet, perhorrescit illam perversorum librorum colluviem, qui nedum catholicae, sed omnis omnino christianae fidei, imo ipsius naturalis religionis fundamenta aperta fronte impugnando, mundo Deum, mentibus, cordibusque hominum fidem, et religionem eripere pergunt; nil curantes compilatores talium, praecipitare nationes integras in omnis impietatis, infelicitatisque baratrum, modo suo satisfaciant lucri, aut ambitionis pruritui. Et licet longe maxima perniciosorum idgenus librorum pars ad tales, qui extus Ecclesiam catholicam sunt, utpote quibus pro infallibili Ecclesiae auctoritate, spiritus privatus deservit, referenda sit; non desunt tamen, recentissimis quoque his temporibus nostris, catholicorum, immo, quod pene abhorret calamus scribere, sacerdotum novae Legis, altaris ministrorum, exempla, quos superbia, et impiae gloriae studium, in hoc egit praecipitium; et qui nec adusque, licet a gremio catholicae Ecclesiae, quae nil contaminati sinu suo amplecti potest, rejecti, ad veritatis, virtutisque tramitem, et reparandum ingens, quod mundo dederant, scandalum, revertuntur. Quantum impiae hujusmodi lucubrationes, penes eam praesertim, quae apud plures, easque amplissimas christianitatis viget nationes, preli libertatem, rectius licentiam, in animis hominum stragem edere, quam infestae religioni, morum pietati, temporalique non minus, ac aeternae mortalium prosperitati accidere debeant? facili quisque assequi potest conjecturâ. Neque quis existimet promptum huic pesti surgere antidotum in iis, quae certo non desunt, perniciosorum idmodi librorum refutationibus, inque iis, quae magno pariter numero lucem conspiciunt, sacrosanctae religioni, pietatique faventibus operibus: haec enim penes eam, quam humana natura, inde ab Adae lapsu, retinet in malum potius, quam bonum, in ea potius, quae superbiae, et sen-

Digitized by Google

suum favent illecebris, quam quae divina, pia, sanctaque sunt, propensionem, illis contrapondium tenere non possunt. Experientia docet, quam difficile sit, continere homines in innocentia morum, in recto virtutis tramite, etiamsi nil iis subministretur, nisi quod fomentum probitati possit suppeditare, etiamsi sollicite removeantur omnia ab oculis, auribusque eorum, quae infesta sunt religioni, inimica vitae sanctimoniae. Quid igitur sperari potest, si aeque facilis ipsis ad perversa pateat accessus, quam patet ad recta, bonaque? Quotusquisque erit, qui non ea potius, in quae suapte trahitur concupiscentia, et sensuum praestigiis, quam ea, quae his adversa sunt, legenda arripiat? et quotusquisque ex iis etiam, qui recta, probaque legerint, his potius, quam illis perversis praebebit assensum?

Sed praeter libros, fidei fundamenta aperta fronte impugnantes, innumera pene sunt, magisque in dies, ac magis multiplicantur scripta, lucubrationes, quae directe quidem religioni bellum haud indicunt, sparsim attamen evolvunt ideas, religiosam legentium fidem labefactantes, sustinent principia, quae cum evangelica veritate conciliari satis non possunt, defendunt placita, quae salva fidei integritate adoptari nequeunt. Totus horum librorum habitus, vel ideo religioni, bonisque moribus perquam est perniciosus, quia nil de Deo, parum de vera virtutis specie propinant lectoribus; quia horum animos ab iis, quae ad pietatem adtinent, detorquent, et ad inordinate appetendam rerum terrenarum vanitatem incendunt. Quis non noscit fabellarum, sic dictarum romanensium, pene mundum inundantium, aliorumque multorum, ingenti apud saeculi filios aestimio gaudentium operum spiritum? quis ignorat, quanto cum periculo haec per juventutem evolvantur? quis nescit, quoties illic vera virtus, et germana pietas ludibrio exponatur; quoties vitia immeritis laudibus cumulentur? quis igitur non perspicit, quam assidua rerum idmodi ingestio religiosum mortalium sensum,

Digitized by Google

magis et magis obtundere, mentem a Deo, cor a virtutis, veraeque pietatis amore debeat retrahere? Quae quidem tanto periculosiora sunt, quod opera idgenus magna sui parte, insigni cum eruditionis apparatu, et rara cum styli amoenitate sint exarata, subtiliores potissimum exhibeant ingenii lusus, celebrium authorum glorientur nominibus.

Nil itaque mirum videri debet, quod in classe hominum, quam cultiorem dicunt, quae videlicet literarum studiis, aut saltem librorum lectione solet occupari, grande illud, ac perniciosum vitium, quod Indifferentismum vocant, quodve nostris pene proprium est temporibus, ampliores in dies faciat progressus. Quippe, in quorum cordibus evanuit fides, eam sustinere amant sententiam, parum interesse, quam quis placitorum teneat normam? neque indagandum esse, quid quis credat, sed quid agat, et quomodo honestatis regulas vita sua, actionibusque suis sectetur? Quasi vero aedificium firmiter possit subsistere absque fundamento; arbor virere, et salubres proferre fructus absque radice; quasi vero non satis, et sana doceat ratio, et experientia, succussis fidei firmamentis, subrui virtutem, absque face fidei mox etiam purioris, sanctiorisque vitae lumen exstingvi; quasi vero etiam aliud nomen datum sit hominibus, in quo nos salvos fieri oporteat, quam sit nomen, quod est super omne nomen, nomen divini Magistri, et Salvatoris nostri Jesu Christi; quasi denique in hoc fluctuantium opinionum oceano, alter etiam detur portus salutis, quam sit infallibile magisterium Ecclesiae catholicae, fundatae supra petram, et contra quam nec inferi portae queant praevalere.

Sed haec corruptelae labes nequaquam solo cultioris istius hominum classis ambitu se sinit contineri; prorumpit ea, ultroque serpit, ac pene jam massam, non modo civilis conditionis hominum, sed et ruricolarum minatur inficere. Quippe, quamvis in horum numero rarius reperiantur, qui ipsa sacrosanctae fidei nostrae dogmata, ex impiae philoso-

Digitized by Google

phiae placitis pergant impugnare, aut iis aperta fronte contradicere: tamen, cultiorum illorum, aut potius depravatorum literatorum exemplis allecti, et incitati, erga ea, quae ad Deum, pietatemque pertinent, se frigidiores praebent, preces, Sacramentorum frequentationem, jejunia, piaque alia opera, et saluberrimas priscorum Christianorum consvetudines sensim negligunt, sicque in apathiam quamdam, respectu religionis, quam practicum indifferentismum haud incongrue dixerimus, semet immergunt; in quem si deciderint, non poterunt non in direptionem cedere omnibus bestiis agri, non poterunt non in omne ruere genus licentiae; in eam, quae jugis est irreligionis comes, calamitatem.

Haec, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, nonnihil explicatius Vobis censuimus proponenda propterea, ut magnitudinem periculi perspicientes, excitetis zelum Vestrum ad debellandam omnem iniquitatem, ad labores pro Deo, tanto alacrius subeundos, quanto inimici bonae causae se praestant magis assiduos in impietatibus suis. Pastor aeternus nos constituit super ovilibus suis, tamquam pervigilaturos pro salute animarum, quas pretioso suo redemit sangvine, et de quorum manibus eae olim sint requirendae; tanto itaque magis intendendae sunt curae nostrae, quanto praesentioribus ovilia nostra luporum periculis exposita animadvertimus. Dominus nos constituit speculatores super muris sanctis Jerusalem; tanto itaque vigilantius excubias agere nos oportet, quanto perniciosiores videmus fieri apparatus, ad expugnandam sanctam civitatem Dei. Salvator noster nos voluit esse lucernam supra candelabrum positam, quae luceat omnibus, qui in domo sunt; tanto igitur curandum nobis est adcuratius, ne offuscetur haec lux nostra, quanto densiores in omnes domus angulos tenebrae irrepere observantur. Divinus Magister noster nos salem esse voluit terrae; tanto itaque cavendum nobis est diligentius, ne ipsi infatuemur, quanto manifestiora se undique sistunt perniciosae putredinis indicia.

Digitized by Google

Non ignoramus, Fratres, Filiique dilectissimi, haud cuncta a nostra dependere seu voluntate, seu etiam contentione, quantumvis intensa: tamen multum, ac pene plurimum, hac in parte, possunt fides, pietas, zelus, scientia, indefessi conatus nostri. Quis enim negaverit, quod ingentem in animos fidelium exerat influxum vita sacerdotis immaculata, amoenos spargens omnigenarum virtutum odores? quis negaverit, quod magna, et hodiedum, sit vis Pastoris animarum in corda fidelium suorum, si vitae suae innocentia, mansvetudine, adcurato muneris sui implemento, vero, eoque discreto zelo fidelium suorum sibi emereri sciat fiduciam, et amorem? Quis negaverit, Pastori animarum innumeros, in sacris ad concionem sermonibus, in Poenitentiae tribunali, in aegrorum provisione, institutione sponsorum, multis aliis, ac pene quotidianis privatae instructionis occasionibus, suppetere modos, illuminandi intellectum fidelium suorum salutarium veritatum lumine; refellendi, si quae falsa semet insinuassent opinionum commenta; evellendi, si quae perniciosa irrepsissent principia, aut axiomata; incendendi cor ad Dei, Salvatoris, veraeque virtutis amorem? Denique quis negaverit, Pastorem animarum tenera pubis fidelium suorum corda in suis deposita habere manibus; quae, modo non parcat labori, ad omnem effingere possit pietatem, et virtutem christianam, sicque parare sibi olim plebem perfectam, et Deo placentem. Itaque nemo prudens dubitaverit, quod in hac etiam deploranda multorum perversitate, his etiam religioni, et vitae sanctimoniae adeo infestis temporibus nostris, post adspirantem divini numinis gratiam, a nobis potissimum dependeat, modum ponere inundantibus his malis; a nobis dependeat, conservare in via salutis eos, qui hanc necdum reliquerunt, dubitantes et incertos ad dexteram potius, quam sinistram deligendam determinare; ipsos aberrantes reducere ad tramitem vitae; regere imbecilles, retundere effrontes, succolare debiles, ani-

Digitized by Google

mare fortes, cunctos aedificare, flectere, et incitare ad aemulanda charismata meliora; ad sectandam lucem potius, quam tenebras, ad concupiscendum salutares potius aeternarum veritatum fontes, quam fallacis humanae sapientiae cisternas, non valentes continere aquas; ad virtutum potius amoenitatem adamandam, quam vitiorum turpitudinem amplectendam.

Hortamur itaque Vos, Fratres, Filiique dilectissimi, immo oramus, et obsecramus in visceribus Jesu Christi, Dei, et Salvatoris nostri, ut, *quoniam Vos estis presbyteri in populo Dei, et ex Vobis pendet anima illorum, ad eloquium Vestrum corda illorum erigatis;* [1]) ut sacro hoc Quadragesimae tempore, seriam imprimis cum Ipsis Vobis ineatis rationem, assiduis a patre luminum gemitibus implorantes, quo detur Vobis robur ex alto, perspiciendi, quid desit ad perfectionem virtutis Vestrae? ad emendandum ea, quae minus recta animadvertitis in Vobis; ad concupiscendum, quae secundum Deum sunt, et repudianda, quae sunt ex malo; ad providendum bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus; ut superabundare faciatis lumen fidei in cordibus Vestris; ut accendamini fiduciali aeternorum bonorum spe, et impleamini charitate Dei ac proximi; ut abnegantes saecularia desideria, unice vivatis Deo, et ei, qui Vos dignatus est vocatione sua sancta; ut per misericordiae et charitatis opera, per mansvetudinem, patientiam, lenitatem, lucrifaciatis corda fidelium Vestrorum; quo sic sermo Vester facilius inveniat aditum ad intelligentias ipsorum; ut tota virium Vestrarum contentione elaboretis esse sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, et omnem induti justitiam. Hortamur porro Vos, ac obtestamur in Domino, ut ne unquam cessetis in studiis literarum, cumprimis sacratiorum; sed custodiant promptam semper labia Ve-

[1]) Jud. 23.

Digitized by Google

stra scientiam; ut dum legem requisiverint ex ore Vestro, paratos Vos inveniant *ad satisfactionem omni poscenti Vos rationem de ea, quae in Vobis est, spe, et fide* [1]). Nolite unquam oblivisci verborum S. Hieronymi: *sacerdotum esse officium de lege interrogatos respondere: si sacerdos est, sciat legem Domini, si ignorat legem Domini, ipse se arguit, non esse sacerdotem Domini. Sacerdotis enim est scire legem, et ad interrogationem respondere de lege* [2]). Expendatis, Dilectissimi! quod his temporibus, quibus cunctae ingenii artes, omnis generis eruditionis apparatus; immo cuncta, quae avernus habet, nequissimi tela, ad divinas impugnandas veritates convertuntur, mediocris in sacerdote scientia non sufficiat, sed tanto ampliori ei opus sit penu cognitionum ad defendendam, quanto speciosiora sunt arma, quae ad impugnandam adplicantur veritatem. Denique hortamur Vos, et obsecramus, Fratres, Filiique dilectissimi! ut Vestri ad conciones sermones sint, ratione materiae, provide selecti; ratione soliditatis argumentorum, penetrabiles usque ad divisionem animae; ratione formae, indigentiis auditorum accommodati; verbo sint cibus doctrinae salutaris, necessitatibus, et justis fidelium desideriis apprime respondens; ut in sacro tribunali nihil praecipitanter, aut perfunctorie, nihil indulgenter, aut imprudenti cum rigore, sed cuncta ea ratione a Vobis fiant, ut sacramentalis peccatorum confessio veram hominibus adferat medicinam, sinceras poenitudinis eliciat lacrymas, stabilem vitae operetur emendationem; ut juventutis mentes, cordaque sic ad amorem Dei, et vitae innocentiam excitetis, quo apta fiant ad recipiendum semen divini verbi, quod subin uberiores agat radices, ac olim centuplum ferat fructum ad solatia Vestra, et curae Vestrae commissorum salutem; verbo ut omnes cogitationes Vestrae, cuncta studia Vestra, privata aeque, ac publica conversatio Ve-

[1]) 1. Petri. [2]) Sup. Agg. Prof.

Digitized by Google

stra, tendant ad ampliandas divini in terris regni rationes propagandam fidem, conservandam, nutriendamque vitae sanctimoniam, impietatem autem, et omnem perversitatem reprimendam. Sic, Domino misericorditer juvante, fiet, ut prisca in animis hominum reviviscat fides; revertantur quam plurimi a viis suis pravis; perspiciant, quae sunt ad salutem, ad veram prosperitatem suam, et quae talia esse perspexerint, etiam amplectantur. Manus Domini non est abbreviata, et potens est Deus, ut possit ex lapidibus etiam excitare filios Abrahae; neque patietur nos Dominus tentari supra quam possimus sustinere, sed dabit etiam cum tentatione proventum; largietur nobis, pro infinito bonitatis suae thesauro, ut videntes reaedificari muros Syon, refocillemur gaudio spiritus in exultatione animarum nostrarum. *Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet Vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem* [1]). Amen. — Datum Zagrabiae in residentia Nostra Episcopali, die 25. Januarii, Anno Domini millesimo octingentesimo quadragesimo secundo.

[1]) Hebr. 13.

Georgius *Episcopus m./p.*

Digitized by Google

ENCYCLICAE DE BREVIARIO ANNO 1843 DIMISSAE.

GEORGIUS etc.

Venerabilibus Fratribus, Filiisque dilectissimis, universo Clero Dioecesis Nostrae salutem in Domino sempiternam!

Ex quo Episcopalem hanc sedem, divinae voluntatis decreto occupamus, sexta jam, anniversarii cursus, vice revolvitur sacrum illud tempus, quod ecclesiastico vocabulo, jejunium majus, aut etiam quadragesimale compellatur. Quod itaque superioribus annis facere, hac opportunitate, solebamus, id ne nunc quidem praetermittendum existimavimus: quippe ut Nostram Vobis, Fratres, Filiique dilectissimi, intuitu legis abstinentiae, atque jejunii, panderemus voluntatem, unaque pastorali voce, ac exhortatione Nostra, aliquid Vobis impertiremur spiritualis seu pharmaci, seu roboris, et unctionis.

Et, quantum quidem ad abstinentiae, et jejunii disciplinam, rationemque, et mensuram impertiendae eatenus dispensationis adtinet; iis, quae evolutis annis manifestavimus, hac quoque vice inhaeremus, nec quidquam, in ea re, seu ampliandum, seu restringendum censuimus. Monemus tantum Vos, Fratres, Filiique dilectissimi, et quo possumus, impensius hortamur, ut ne hanc sanctae matris Ecclesiae, ministerio Nostri, fidelibus tributam concessionem, tamquam spontaneam saluberrimae hujus, ac vetustissimae

Digitized by Google

disciplinae relaxationem, sed tanquam temporum iniquitati, et refrigescenti Christianorum zelo, et pietati factam indulgentiam consideretis: utpote quod benigna mater filiorum imbecillitati subvenire, conscientiasque ipsorum, relaxatis praeceptorum laqueis, cupiat alleviare. Sic itaque considerantes concessam hanc a rigore legis dispensationem, ea non ad destructionem, sed potius aedificationem corporis Christi, uti contendite; nec ulli, hac in parte zelo, et contentioni, ullis parcendum Vobis esse laboribus existimate.

Quod vero ad exhortationis spiritualis, Vobis, hac vice, per Nos impertiendae, genus attinet: *Orationis* delegimus officium; de quo, imprimis quidem, in genere considerato, tum vero, quatenus ad horas, sic dictas, Canonicas refertur, nonnulla pro tenuitate Nostra, Vobis proponemus. Nimirum, sicut parte ab una, intime Nobis persvasum habemus, spiritum orationis esse praecipuum fontem, quo ali debeant rivulo ex ore, vitaque Sacerdotis ad foecundandum agrum dominicum, ad producendam aeternae salutis segetem dimanantes: sic tristis, parte ab altera, Nos docet experientia, per multos etiam eorum, qui sanctuarii semet manciparunt obsequio, et quotidie portant vasa Domini, hoc officii genus levius assumi, per alios pene negligi, ac vilipendi, per nonnullos aperta etiam fronte, nec minus audacter, quam procaciter impugnari.

Ad orationem, vel quatenus ea officiorum erga Deum magnam partem constituit, omnes omnino homines, revelationis aeque, ac naturae legis praecepto, obstringi, non est, quod multis Vobis debeamus demonstrare, Fratres, Filiique dilectissimi; utpote qui in hoc vocati estis, ut alios de incumbentium sibi officiorum partibus edoceatis. Sed si omnes homines ad orationis officium obligantur: illud, longe etiam magis, ad altarium ministros, et divinae legis praecones referri, pariter, Nobis etiam tacentibus, perspicitis;

Digitized by Google

nec facile, qui id negare, aut vel in dubium adducere ausit, sacerdotem repertum iri confidimus.

Sed et omnis, qui uberius aliquando animum in rem adverterit, facile intelliget, piam et frequentem orationem, cumprimis in sacerdote, jure legeque deposci insuper propterea, quod ea unum sit e praecipuis virtutis praesidiis, praecipuum pia erga Deum sensa, quae secus a rerum terrestrium studiis, ut bonum gramen a vepribus suffocantur, in animo suo retinendi, roborandi, renovandi remedium; praecipuum calcar et robur munus suum fructuose obeundi. Quomodo etenim zelum pro domo Dei excitabit in corde suo sacerdos, nisi fiduciali ejus, pro cujus nomine militat, adversus potestates tenebrarum harum invocatione? Quomodo ad arenam quotidie descendet, pugnaturus cum innumeris propemodum sensuum, et peccati illecebris, nisi frequenter invocato superno auxilio, confortatus fuerit in Domino, et in potentia virtutis ejus? Unde vires ei suppetent, adversitates omnis generis, quas ipsum ejus secumfert munus, cum patientia, et fortitudine tolerandi, nisi jugi, piaque roboretur cum Deo conversatione? „Ab aliis curis atque negotiis“ ait S. Augustinus [1]) „quibus ipsum desiderium quo„dammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi men„tem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes, in „id, quod desideramus intendere, ne quod tepescere coe„perat, omnino frigescat, et exstingvatur, nisi crebrius in„flammetur.“ Et alibi: [2]) „Frumento tuo quaeris mutare „locum, et cor permittis in tera putrescere, frumentum le„vares ad superiora, cor leva in coelum. Et unde, inquis, pos„sum? qui funes, quae machinae, quae scalae opus sunt? gradus „affectus est, iter tuum voluntas tua est, amando ascendis, „negligendo descendis.“ Pulchre quoque Cassiodorus: „Ora„tio serenat cor, abstrahit a terrenis, mundat a vitiis, sub-

[1]) Epist. 121. [2]) Sup. Psalm. 85.

Digitized by Google

„levat ad coelestia, reddit capacius, et dignius ad accipien„da bona spiritualia.“ S. item Gregorius in quad. hom. „Quanto graviori tumultu carnalium rerum premimur, tanto insistere orationi ardentius debemus.“

Porro Pastoris est animarum gregem, suae curae commissum, non verbo tantum, sed et proprio vitae exemplo ducere ad viam salutis. Dum igitur populum ad precandi officium, tanquam unum e praecipuis, cohortatur curator animarum, proprio suo exemplo, doctrinae suae aditum ad animos auditorum aperiat est necesse. „Illa vox“ ait S. „Gregorius [1]) „libentius auditorum corda penetrat, quam „dicentis vita commendat; quia quod loquendo imperat, „ostendendo adjuvat, ut fiat.“ Item S. Bernardus: [2]) „Dabis „voci tuae vocem virtutis, si quod svades, prius tibi ipsi cognosceris persvasisse; validior operis, quam oris vox; fac ut loqueris.“

Sed et, si fructum laborum suorum videre vult operans in vinea Domini sacerdos, commitere non potest, quin super sudoribus suis, benedictionem, et rorem supernum, assiduis precibus efflagitet, probe sciens: neque eum, qui plantat, esse aliquid, neque eum, qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deum.

Quantopere insuper, ad fervens, frequensque orationis exercitium moveri debent sanctae religionis ministri, exemplo divini Servatoris et Magistri sui, qui ad munus, quod susceturus erat, diuturna cum coelesti suo Patre conversatione se praeparabat: qui fessus ab evangelicis laboribus, juga montium, aut desertorum quaerebat solitudines, ibique oratione se reficiebat, integras etiam noctes in ea pervigilans; qui pro discipulis, pro omnibus sibi a Patre datis, immo ipsis inimicis suis, tam teneras, tam ardentes fundere solebat intercessiones; cujus demum tota in terris commoratio nil pene fuit

[1]) Lib. past. p. 2. C. 3. [2]) Serm. 59. in Cant.

Digitized by Google

aliud; quam assidua cum Patre familiaritatis consvetudo, id vero est, perstans, et perpetua quodammodo oratio?

Idem videmus fecisse Apostolos, qui eo scopo sibi elegerunt Diaconos ministraturos mensis, ut ipsi orationi et praedicationi Evangelii ferventius possent vacare. „Nos“ ait divus Petrus [1]) „orationi et ministerio verbi instantes erimus.“ Doctor gentium in cunctis suis epistolis asseverat, se perpetuo esse memorem, in orationibus suis, Ecclesiarum abs se constitutarum, quo videlicet daret iis Dominus spiritum sapientiae, et revelationis, in agnitione sui. Sed nec fuit, inde a primis Ecclesiae cunabulis, ad nostra usque tempora, sacerdos imprimis curator animarum, fervido cum zelo, et fructuose laborans in vinea Domini, qui solertem, piamque precationem non amasset, non inter praecipuas muneris sui partes reputasset.

His potissimum fundamentis nititur antiqua illa Ecclesiae consvetudo, qua ministros suos, ad certas, quotidie persolvendas, preces invitabat; hinc repetenda innumera propemodum Synodorum, ac Summorum Pontificum statuta, certa quotidianarum precum pensa, quae subin horarum canonicarum, Breviariique nomenclationem sunt consecuta, clericis inculcantia; hinc actu perseverans, eadem pensa, sub gravi conscientiae reatu, persolvendi iisdem imposita obligatio. Quippe in hac ad precandum obligatione, quae et per se praecipuum est sacri ministri officium, et sine qua is nil pene potest operari dignum vocatione sua, nil conducens ad aeternam, sibi creditorum salutem, non voluit provida mater Ecclesia liberum relinquere in sanctuarium suum adscitis, arbitrium; juste praemetuens, futuros olim, qui, magis faventes legi, quae est in membris suis, quam legi mentis suae, in damnabilem ruant socordiam, atque sic, imminuta, atque adeo penitus suffocata, intus in animo, spirituali vita, in-

[1]) Act. 6. 4.

Digitized by Google

infructuosi fiant et sibi, et aliis, neque sciant gregibus suis praeesse ad usus necessarios finium aeternorum.

Obligatio haec, nullis forte, ne tristissimis quidem Ecclesiae temporibus, plures habuit adversarios, quam hac dierum nostrorum iniquitate: utpote quae non modo per laxioris conscientiae clericos facile negligatur, sed et variis, in contrarium adductis sophismatibus impugnetur. Cum argumentationes hae, partim ex pernegatione validae in rem legis et Ecclesiae praecepti, partim ex ipsa precationis indole, mutata temporum ratione, accumulata item functionum pastoralium mensura, aliis idgenus obtutibus desumantur: imprimis quidem ipsum Ecclesiae praeceptum paucis demonstrabimus, tum praecipuas, ex allegare solitis, objectiones, per summos, apices perstringemus. Quippe, siquidem supponere non facile possimus, dari in hac Dioecesi Nostra, tales sacerdotes, qui clare agnitam gravem obligationem, temerata conscientia, violare haud reformident: eo potissimum Nobis elaborandum existimamus, ut resecatis, quae seu philauciae studium, seu novatorum petulantia, seu demum impiorum contentio ad evitandam piam hanc consvetudinem solent consarcinare, effugiis, levius in rem cogitantium, aut falsa argumentorum specie deceptorum, mentes de eo, quem per officii hujus neglectum incurrunt, gravi conscientiae reatu convincamus, omnemque talibus porro in errore, aut torpore suo perseverandi praetextum adimendo, ipsos ad eum reducamus tramitem, qui solus tutum praestare possit ducatum.

Jam *Tertulianus*, libro de jejuniis, Cap. 10. usum dicendi Officium ab Apostolis repetit, qui, ut omnibus constat scripsit ab anno Christi 194-o usque 216-um.

Saeculo quinto, horarum canonicarum persolutio, adeo jam universalis fuit: ut *S. Synodus in Sede Venetorum*, anno 465 celebrata, presbyteris, qui eas absolvere intermisissent, excommunicationis poenam, septem diebus duraturam inflixerit.

Digitized by Google

Concilium Bracarense in Lusitania, anno 561 coactum, provinciali suo clero normam in horis canonicis absolvendis eandem praescripsit, quae Romae usuvenit. Id ipsum Synodus *Vasionensis* in Gallia, eodem saeculo collecta, disposuit.

Concilium Toletanum 4. anno 633 celebratum, haec in rem statuit: „Unus igitur ordo orandi, atque psallendi no„bis per omnem Hispaniam, atque Galliam conservetur, „unus modus in missarum solennitatibus, unus in vesperti„nis, matutinisque officiis, nec diversa sit ultra in nobis ec„clesiastica consvetudo, qui una fide continemur, et regno; „hoc enim et antiqui canones decreverunt, ut una quaeque provincia, et psallendi et ministrandi parem consvetudinem teneat."

Egbertus, *Archi-Episcopus Eboracensis*, Saeculo 8. in Excerpt. Can. 28. dicit: „Septem igitur synaxes SS. Patres „canendas constituerunt, quas omni die clerus, singulis ho„ris canere debet, quarum prima est nocturnalis synaxis. — „Has ergo synaxes omni die debemus sollicite reddere Deo, „pro nobis, et omni populo christiano."

Concilium Basiliense de anno 1435. quod usque sessionem 25-am ab omnibus catholicis, ut oecumenicum suscipitur, Sess. XXI. haec habet: „Quoscunque beneficiatos sive „in Sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, „admonet haec sancta Synodus, ut sive soli, sive associati, „diurnum, nocturnumque officium reverenter, verbisque „distinctis peragant."

E recentioribus temporibus plura adhuc in rem perlata sunt decreta conciliorum, e quibus pauca subjungimus.

Imprimis *Concilium oecumenicum Lateranense 5-um* sub Julio II. et Leone X. Pontificibus, ab anno 1512. usque 1517. celebratum, in haec verba disponit: „Statuimus quo„que, et ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum cura, „si post sex menses ab obtento beneficio, divinum officium

Digitized by Google

„non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum „fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis of- „ficii, et temporis; sed eos, tanquam injuste perceptos, in „fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosy- „nas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in si- „mili negligentia contumaciter permanserit, legitima moni- „tione praecedente, beneficio ipso privetur, cum propter „officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omit- „tere, quoad hoc, ut beneficio privari possit, si per quin- „decim dies illud bis saltem non dixerit, Deo tamen, ultra „praemissa, de dicta omissione redditurus rationem.“ Porro

Synodus Burdigalensis anno **1583**. celebrata sic ait: „Ad haec autem praestanda“ (quippe ad preces ecclesiasti- cas et alia) „ii omnes ipso jure obligantur, quicunque vel „beneficiis ecclesiasticis potiuntur, vel sacris initiati sunt. Quo- „circa poenas in eos, qui preces horarias, et quotidianas prae- „termiserunt, sacris conciliorum, atque Pontificum decretis „constitutas, in praesentia duximus esse renovandas.“ Item Tit. de Sacram. Ord. „A Subdiaconatu statim Officii divini „recitandi rationem teneant, neque omnino superiores illis „Ordines conferant, quos per examen, hac insigni et mor- „tali negligentia teneri constiterit.“

Synodus Provincialis Mediolanensis de anno **1565**. in hunc modum praecipit: „Qui sunt sacris initiati, etiamsi „beneficium non habeant, si divinum Officium praetermise- „rint, praeter grave peccatum, quod committunt, graviter „etiam ab Episcopis in eos animadvertatur.“

Synodus autem Aquilejensis, anno **1596**. celebrata, Rubr. **11**. de vita et honest. Clericor. sic statuit; „Latera- „nensis concilii sanctione gravissima decretum est, ut qui „beneficia ecclesiastica, tam curata, quam non curata ob- „tinent, nisi post certum tempus horas canonicas recitave- „rint, fructus beneficiorum amittant, qui extunc fabricis

Digitized by Google

„locorum piorum, seu eleemosynis appliciti fuerint. Quod ut clericis apertius innotescat, saepius iisdem inculcandum decernimus, ac statuimus Pii V. constitutionem, de hac re „latam 11. Cal. Octob. 1571. in dioecesanis Synodis quotan„nis publicandam, qua amissiones fructuum beneficialium, „pro horarum omissione quantae sint? declarantur: inde „enim omnes colligent, quod male est perceptum, qua fue„rit ratione, et cui restituendum? Non tamen existiment, „qui ad Subdiaconatus ordinem, et superiores provecti sunt „si beneficio careant, horis canonicis, ex Breviario Romano „recitandis, se obstrictos non esse, omnino vero intelligant, „quemadmodum qui beneficium habent ecclesiasticum, ho„ras canonicas non recitantes, ultra peccati mortalis reatum, „amissione fructuum plectuntur, ita illos, omittendo horas „canonicas, mortaliter peccare, nec se praetextu beneficii „non adepti excusare posse."

Non minus diserta, determinataque sunt, quae Synodi Ecclesiae Hungaricae, ad quam Zagrabiensis Nostra, a multis saeculis pertinet, in rem constituerunt. Meminisse sufficerit *Synodi Nationalis Budensis*, anno **1279.** sub Ladislao IV. praesidente Philippo Firmanno, Sedis Apostolicae Legato, celebratae, *Synodorum item Strigoniensium*, alterius quidem dioecesanae, Leutsoviae, anno **1460.** alterius provincialis, anno **1493.** nec non *Synodi nationalis, sub Petro Pazmanno, Tyrnaviae*, anno **1630.** asservatarum, quae cunctae eadem in confirmanda hac clericorum obligatione utuntur severitate, quam per supra adducta Conciliorum praesertim oecumenicorum, decreta adhibitam fuisse intelleximus.

Praeter Synodorum statuta, plures sunt pontificiae constitutiones, eandem obligationem positivis, ac determinatis dispositionibus complectentes; quas quidem singillatim isthic recensere instituti Nostri excederet limites. Omnium loco, verba adducimus S. Pii Papae V. in sua Bulla, edita

Digitized by Google

anno 1568. de Breviario Romano, e decreto Concilii Tridentini emendato, disserentis „Hoc nostrum Breviarium“ „ait, et precandi, psallendique formulam, in omnibus uni„versi orbis Ecclesiis, monasteriis, ordinibus, et locis, etiam „exemptis, in quibus officium ex more, et ritu dictae Ro„manae Ecclesiae dici debet, aut consvevit, praecipimus ob„servari; ac quoscunque, qui horas canonicas ex more, et „ritu ipsius Romanae Ecclesiae jure, vel consvetudine di„cere, vel psallere debent, propositis poenis, per canonicas „sanctiones constitutis, in eos, qui divinum officium quoti„die non dixerint, ad dicendum, et psallendum posthac in „perpetuum horas ipsas diurnas, et nocturnas, ex hujus „Romani Breviarii praescripto, et ratione, omnimode teneri, „neminemque ex iis, quibus hoc dicendi, aut psallendi „munus necessario impositum est, nisi hac sola formula sa„tisfacere posse. Jubemus igitur omnes, et singulos Patri„archas, Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates, ut tam ipsi „quam caeteri omnes presbyteri, et clerici, saeculares, et „regulares, quibus officium dicendi, psallendique, quomo„docunque injunctum est, ex hujus Nostri Breviarii for„mula, tam in choro, quam extra illum dicere, et psallere „procurent.“

Praecepti hujus a S. Pio editi contemptoribus *Clemens VIII. Papa* suspensionis, et excommunicationis poenas intentat. Idem repetiit summus Pontifex *Urbanus VIII.*

Vel ex his quivis, praejudiciis haud detentus, sincerusque veritatis indagator, perspicere debet: pervetustam in Ecclesia, atque adeo, inde a primis ejus cunabulis, per omnia retro saecula, perque omnes provincias, et regiones, diffusam viguisse, apud sacerdotium consvetudinem, certas singulis diebus preces absolvendi; hanc porro consvetudinem, relate ad omnes, non monachos solum, et religiosos ordines, ut lubenter nonnulli praetendunt, nec ad clerum tantum, penes Cathedrales, et Collegiatas Ecclesias, choro

Digitized by Google

deputatum, sed ad singulos, sine discrimine clericos, beneficiis ecclesiasticis dotatos, aut sacris ordinibus, citra etiam beneficium ecclesiasticum, initiatos, in strictam abiisse obligationem: quippe quod haec iis, non modo a plurimis Synodis particularibus, non modo iteratis visibilis Ecclesiae capitis praeceptionibus, sed ab universa etiam Ecclesia, in conciliis oecumenicis, assistente Spiritus S. numine, congregata, iterum, iterumque sit imposita; nec imposita solum, sed et praeter gravem reatum, qui neglectu ejus officii conscientiis singulorum inferretur, variae, gravesque in praevaricatores poenae perlatae sint. — Ut adeo obligationem recitandi quotidie, sacri ejusdem Officii, quod demptis exiguis, nec essentiam ejus attingentibus mutationibus, cum vetusto illo congruit, immo idem ipsumque est, nemo inficiari possit, nisi legislativam potestatem jurisdictionem in spiritualibus, ac judicium in conscientiae objectis, quemadmodum olim Valdenses, Joannes Hussius, aliique recentiores etiam haeresiarchae, et novatores fecerunt, Ecclesiae abjudicare, sicque in sacrosanctam eandem matrem, et magistram veritatis, impius, injuriusque malit evadere.

Quae in neganda ipsius praecepti auctoritate inest, impietatem perspicientes quam plurimi canonicarum horarum adversarii, alia potius, quibus ab hac sibi ingrata obligatione semet liberare possint, quaerunt effugia.

Dicunt: se lubenter agnoscere orationis necessitatem; verum ut praecepto orationis satisfiat, minime inquiunt opus esse Breviario, quod in verbali pene consistat recitatione, neque praesentis temporis culturae neque precantium moralibus respondeat indigentiis, pluraque complectatur, quae severiorem crisim haud sustineant. — Sacerdoti, aiunt, pro oratione sunt functiones spirituales, studia, ac quaeque ad sacri sui muneris partes attinent; posse curatorem animarum omni loco, omnique tempore mentem ad

Digitized by Google

Deum levare, talem autem orationem Deo acceptissimam esse, longeque magis praeferendam prolixis istis, magnaque sui parte obscuris, et quas pauci rite intelligant, precibus; quae quia continuo recurrunt, in consvetudinem abeant, ac demum in mechanicum labiorum motum degenerent. —

Speciosa haec sunt, et ad subvertenda juniorum cumprimis, ac mundanae culturae laudem ambientium, sacerdotum ingenia perquam accommoda; sed vero solertius inspecta, non sunt nisi immaturi partus ingenii, et ad eam ludificationum classem referenda, quae scioli, aut philauciae studio dediti, congerere solent ad excusandas excusationes in peccatis. — Elevatio mentis ad Deum est profecto res summi pretii, basis cujuslibet orationis; sed ea ab officio precum vocalium, quarum exemplum ipse Salvator noster, Jesus Christus, praebuit, quasve Ecclesia ministris suis dietim absolvendas praescribit, nos nequaquam potest eximere; tanto quidem minus, quia illa mentis ad Deum elevatio, his verbalibus potissimum alitur precibus, quemadmodum ignis superpositis sarmentis. — Et, si haec subsisteret argumentatio: omnes, fidelis etiam populi preces, precumque formae, immo, et orationis causa institui soliti conventus, essent abolendi. Certe, si recentiorum temporum illuminatio in similium sophismatum procusione suam reponit gloriam: impiam eam esse, et deplorandam, atque obcoecantem potius incautos, quam illustrantem mentis oculos confiteamur, est necesse. — Curatorem animarum omni loco, omnique tempore mentem ad Deum elevare posse, ac debere, sane quam verissimum est; sed, ut humanae naturae indoles, ac uberius adhuc experientia docent, is tanto citius, certiusque hanc, pios cordis motus ad Deum attollendi facultatem amittet, tantoque magis evanescet terrestrium studiorum affectionibus, quanto frequentius intermiserit, praescriptarum sibi precum quotidiana pensa, et quanto audacius Ecclesiae matris, eas sibi imponentis, vilipenderit auc-

Digitized by Google

toritatem. — Porro, si concedatur etiam, in praesenti horarum canonicarum conformatione reperiri nonnulla, quae mutari possent, aut rescindi; an haec talia sunt, ut totius Officii rejectionis culpam excusent? an non, sicut castis omnia casta esse dicuntur, sic et sincero cum pietatis sensu, sanctaque intentione precantium, mentes, cordaque, ex talibus quoque, spiritualis aedificationis, et devotionis affectibus possunt confoveri? praesertim, cum longe maxima Officii nostri pars ex scriptura sacra, purissimo illo veritatum, et sublimium sensationum fonte, e sanctissimorum, doctissimorumque Patrum homiliis, ex Ecclesiae orationibus, simplici sublimitate sua, unctioneque sane quam admirabilibus, denique piis precibus, antiphonis, ac versiculis, temporum varietati scite aptatis, et apprime convenientibus, sit compositum? „Psalmus“ ait S. Basilius, [1]) „Angelos ad adjutorium „salutis invitat; scutum est in nocturnis terroribus, diurno„rum requies laborum, cautela pueris, juvenibus ornamen„tum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor, deser„tas habitari facit urbes, sobrietatem docet, incipientibus „primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, „perfectis stabile firmamentum.“ Porro Joannes Cassianus [2]) „Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum „etc. Hujus versiculi oratio, in adversis, ut eruamur, in pro„speris ut servemur, ne extollamur, incessabili jugitate fun„denda est: hujus igitur versiculi meditatio in tuo pectore in„dirupta volvatur: hunc in opere quolibet, sive ministerio, „sive itinere constitutus decantare non desinas: hunc et dor„miens, et reficiens, et in ultimis naturae necessitatibus me„ditare.“ Cassiodorus autem [3]) „pulchre definitum“ affirmat „psalmos esse vasa veritatis, quasi spiritualia dolia, vinum

[1]) In hexam. l. 9. [2]) In collat. 10. Isai c. 10. [3]) Sup. Psal. Confit. tibi.

Digitized by Google

„Domini incorrupto sapore servantia.“ Et alibi: „Psalmodia est“ inquit „consolatio flentium, cura dolentium, sanitas aegro„torum; haec animae remedium, haec miseriarum omnium „cognoscitur esse suffragium.“ — Ecce Fratres, ac filii dilectissimi! quantas pii, Deo conjuncti Sacerdotes, in psalmorum, qui pene potissimam divini nostri Officii partem efficiunt, recitatione, repererunt spiritus delicias, quanta devotionis suffragia, quanta pharmaca consolationis! Quod si haec nobis haud proveniunt ex recitatione horarum canonicarum, si hae nos frigidos relinquant, immo in varia distentos, atque adeo taediosos: non in ipsa officii ratione, mihi credite, sed in nobis, tristis hujus apathiae ratio est perquirenda; quae quidem tanto evadit perniciosior, quanto inde recte progerminat, unde maximi omnium saeculorum in Ecclesia viri suum hauserunt spiritus robur, ad debellandas quasvis, et carnis et mundi illecebras, potestates. Quod adtinet ad obscuritatem, quam adeo lubenter ad exculpandam inobedientiam, socordiamque suam allegant horarum canonicarum adversarii; optimo jure reponitur: Sacerdotibus, ac imprimis curatoribus animarum, vi sublimis sui muneris, incumbere obligationem, fidelem populum, cui ceu doctores praeponuntur, in doctrina salutari erudiendi; in intellectu igitur S. scripturae omni virium contentione iis esse elaborandum; neque a sacerdote, cujus labia custodire debent legem Dei, dedecorosam hanc suscipi posse excusationem. Ac, si nihilominus occurrant psalmi, aliaque scripturarum loca, intellectu difficiliora: haec nequaquam ei, quem sancta mater Ecclesia, precum idgenus imponens officium intendit, scopo quidquam decerpunt: cum singulus, modo velit, modoque pia cum cordis dispositione ad precandum accedat, tantum indubie intellecturus sit, quantum ad alendam suam devotionem, spiritualemque requiritur aedificationem. — Multorum pietatem insigniter sustentavit jugis Officii recitatio, etiam qui minus iis instru-

Digitized by Google

cti erant praesidiis, quae ad perfectam sacrarum literarum intelligentiam pertinent: quippe intelligit Deus pios cordis gemitus, et affectus, etiamsi verbis, alium ad literam sensum habentibus, vestiantur.

Sed neque fundatae magis sunt objectiones, quae ex defectu temporis, per sacrum curionem, in implementum pastoralis muneris, ac in necessariorum, utiliumque aliorum librorum lectionem, ampliori cum fructu impendendi, per inimicos horarum canonicarum fieri consveverunt. Inprimis orationis munus, pro curatore animarum tanti est momenti, ut ab eo quidem nullo sub obtentu possit excusari: nisi enim sustentetur divinus ille ignis, quo et ardere debet cor sacri curionis, et accendere alios, frustranea est omnis ejus contentio, irriti omnes sudores ejus; ardere autem hunc igniculum, et sustentari non posse, nisi pia, jugique oratione alatur, jam supra confirmavimus. Nec, qui in humani cordis abdita, et pastoralis muneris rationes profundius introspexerit, hac de re ullatenus potest ambigere. Lubenter agnoscimus, multas, gravesque esse solertis animarum curatoris occupationes; agnoscimus, si quando, hoc certe tempore, summe esse desiderandum, ut ecclesiastici viri mentem suam non sacratiorum tantum, sed et aliarum disciplinarum studiis percolere contendant: sed vero non dubitamus iterum iterumque affirmando repetere: nisi cuncta operatio ejus orationis delibuta sit ungvento, nisi lectionem, ut svadet S. Hieronymus „frequenter interrumpat precatio, et animam jugi„ter adhaerentem Deo, grata vicissitudo sanctae operationis „accendat“ parum, seu ad propriam, seu aliorum salutem operandam, conducent cuncta fatigia, cuncta studia ejus. „Orationibus mundamur“ ait S. Isidorus „lectionibus instrui„mur: utrumque bonum est, si liceat: si non licet utrum„que, melius est orare, quam legere.“ — Quodsi homines rerum novandarum cupidi exemplis moverentur, summi adduci possent viri antiquiorum temporum, qui perbene nove-

Digitized by Google

rant quotidianam, eamque devotissimam officii persolutionem cum apostolicis, saepe stupendis, laboribus conjungere; quamvis, temporibus illis, Officii prolixitas pensa nostri Breviarii longe superaverit. Sed nec opus est ad *S Caesarium*, *Pontianum*, *Gallum*, *Petrum Damianum*, alios ex antiquitate conspicuos, spirituque apostolico exaestuantes viros, de quibus luculentissima in rem suppetunt documenta, regredi; suffecerit immensorum meminisse laborum, quos *Bartholomaeus a Martyribus*, *Carolus Borromaeus*, *Franciscus Salesius*, Cardinales *du Perron*, et *Belarminus*, item *Bossuetus*, *Mabillonius*, *Fenelon*, *Bourdaloue*, *Calmetus*, ac innumeri alii viri sanctissimi, doctissimique, pro Ecclesia Dei, et salute animarum exantlarunt, quin vel una die, praetextu hoc, quotidiani officii pensi recitationem neglexissent. — Sed et hodierna docet experientia, eos recte animarum curatores, qui maximam in divini Officii persolutione sectantur adcurationem, et amplissimos una operari, in vinea dominica, fructus, et laetiores in aliis literarum generibus facere progressus; contra eos, qui nil pensi ducunt, neglectu impositae sibi hujus obligationis, suam temerare conscientiam, et exigua lucra facere animarum, et profundius semper in ignorantiam mergi, rerumque omnium ruditatem. Quippe quod amisso orationis spiritu, caeterorum quoque sacrae suae vocationis munerum amittant gustum, et quas precationi subtrahunt horas, has nequaquam ministerio suo, aut literis, sed passim otio, variis, saepe indecentibus, ac utinam non dedecorosis quoque, et peccaminosis, consacrent occupationibus, dissipationibus. Caeterum, non negamus fieri omnino posse, ut solemnioribus festis, ac casibus, qui extra consvetum ordinem emergunt, sacerdos praesertim in cura animarum constitutus, tantopere distineatur, ut ei, moraliter, quod aiunt, impossibile sit, pensum divini Officii absolvere. At vero tum cessat quoque illud persolvendi obligatio: cum Ecclesia impossibilia praecipere nunquam volue-

Digitized by Google

rit. Caeterum casus hujusmodi, si seria animo insit voluntas incumbenti sibi muneri respondendi, quam rarissimi emergent, nec praetextum praebere possunt, piam consvetudinem exuendi, passimque negligendi, quod Ecclesia, in dies, religiose praescribit observandum.

Hujusmodi fere sunt, quae praeter haec, per horarum Canonicarum impugnatores, aut vilipensores proferri solent effugia; quippe cuncta, vel e genuinae vocationis spiritualis defectu, vel e perversis de Ecclesiae authoritate, orationisque utilitate conceptibus, vel denique, et hoc quidem potissima sui parte, ex acediosa animi dispositione, commoditatisque, et philauciae studio progerminantia; quae quidem per singula recensere tanto minus necessaria existimamus; quod quae veri specie decipere possint incautos, potissimum ad ea, quae perstrinximus, referantur.

Residuum adhuc foret, ut de ipso, quo Officii persolutio debite institui debeat, modo, Nostra Vobis sensa, Fratres, Filiique dilectissimi aperiamus. Sed de hoc in ipso studiorum theologicorum cursu, Vos debite institutos haberi lubenter supponimus. Facile quoque unusquisque intelligit Vestrum: rei summam eo recidere; ut hoc orationis genus fiat juxta beneplacitum Dei, qui cor nostrum desiderat; secundum item praescriptum Ecclesiae, quae adcurationem deposcit; denique propter fructum animae nostrae, quae pietatem cupit. Quippe orantes horas canonicas, loquimur Deo, loquimur nomine universae Ecclesiae, loquimur ipsi Deo; solvimus hac precatione nostra quotidianum censum, seu laudis tributum, quo Deo omnipotenti, ut homines, naturâ; ut christiani, gratiâ; ut sacerdotes, et ministri altissimi, vocatione obstringimur. In tali opere juste profecto a nobis deposcitur intentio pura, attentio sollicita, modestia gestuum, decentia loci, adcuratio pronunciationis. Maledictus enim, ut ait Jerem. [1])

[1]) Jerem. 48. 10.

Digitized by Google

qui opus Domini facit negligenter. Et si quaevis „oratio“ secundum S. Hugonem Victorinum „est piae mentis, et humilis ad „Deum conversio, fide, spe, et charitate subnixa: ‚haec tanto magis de ista tam solemnibus Ecclesiae praeceptis nobis imposita precationis specie, in veritate debent posse affirmari. Nullus autem crassior potest esse error, quam sit opinio illorum, qui in Officii divini recitatione solam deposci contendunt verborum pronuntiationem; devotionem, et attentionem nequaquam necessariam esse sustinentes. Quippe id ipsis sanis repugnat orationis conceptibus, quae nisi in spiritu fiat, et veritate, non est christiano homine digna, minus altaris ministro. „Illam orationem“ ait S. Gregorius Pont. in quadam suarum homiliarum „Deus non exaudit, cui homo „quando psallit, non attendit.“ — S. item Basilius: „Si quis „intendat ita animam suam in singula verba psalmorum, sicut „gustus intentus est ad discretionem saporis ciborum; iste „est, qui complet, quod dicitur: psallite sapienter.“ Et pulchre in rem Cassiodorus [1]): „Ipsius est oratio perfecta, cu„jus et causa clamat, et lingva, et actus, et sermo, et vita, „et cogitatio.“

Quae cum ita sint, Fratres, Filiique dilectissimi, Nos quidem, hoc cumprimis imminentis sacro jejunii quadragesimalis tempore, memores verborum S. Augustini, in quodam sermone prolatorum: „Oratio refectio est jejuniorum, „duritiem cordis emollit, austeritatem temperat, jejunium „dulcificat: sicut enim sine potu non est plena refectio, sic „et jejunium, sine refectione orationis, non potest animam „perfecte nutrire;“ memores item, pulchri illius S. Hieronymi asserti, super Marc: „Jejunio passiones corporis; oratio„ne pestes sanandae sunt mentis;“ monemus Vos, pro sancta, qua, imparibus licet meritis, fungimur legatione, atque

[1]) Sup. Psal. 16. Exaudi.

Digitized by Google

paterne hortamur, quin obsecramus, etiam in Christo Jesu, servatore nostro, ut conscientiae potius dictamini aurem praebeatis, quam argutiis hominum, in quorum ore non est veritas, et quorum cor vanum est, et sepulchrum patens guttur eorum; ut sanctae potius, et sublimis destinationis Vestrae rationem Vobis habendam putetis, quam praeposterae hujus aevi illuminationis, quae fallaci fulgore perstringit, atque adeo eluminat mentis oculos, prorsusque opposita est luci illi verae, quae illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. — Sit Vobis agendorum mensura, non commoditatis studium, sed effata Ecclesiae, columnae, et magistrae veritatis; sit mens sitiens thesaurorum, quos neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt, neque aerugo demolitur. Tum profecto fiet, ut librum, cum suscepto Sub-Diaconatus ordine, ab Ecclesia, Vobis in manus traditum, nemo unus Vestrum spernat, sed infelici nefors consilio spretum, et levi conscientia sepositum, quisque hilari cum alacritate resumat; fiet, ut sanctum hoc, ac salutare religionis exercitium, quod ad conservandum in sacerdotio pietatis spiritum, et devotionis ardorem, tanti semper existimabatur momenti, reviviscat, et Ecclesiae praecepto, atque dimananti ex eo obligationi suum constet obsequium; contra innumeris propemodum, ex ejus neglectu, subortis malis modus ponatur: quippe hinc magna parte repetenda est, imminuta in fideli populo erga Pastores suos fiducia; hinc, quod sacerdotes, post excussam erga Ecclesiae praecepta obedientiam, proni ruant in dominantem saeculi spiritum, et sensuum illecebris mancipati, soporem contrahant, evanescant sensu suo, fiantque segnes, indigni, ad explendas partes sublimis vocationis suae, et ad omne opus bonum frigidi. Denique fiet, ut adorantes Deum in oblectatione, suscipiamini, et deprecatio Vestra usque ad nubes propinquet, et sitis tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, cujus folium non defluit, et quod dat fructum in tempore suo. Det Vobis Deus,

Digitized by Google

Fratres Filiique dilectissimi, gratiam suam, ut cognoscatis, quae sit voluntas ejus bona, et beneplacens; det ut ad eam jugiter sectandam omne consilium cordis vestri, virtute ex alto corroboretur. Amen. — Datum Zagrabiae in arce solitae residentiae Nostrae Episcopalis, Dominica Septuagesimae, in diem mensis Februarii duodecimam incidente, anno Domini, millesimo, octingentesimo quadragesimo tertio.

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUADRAGESIMALES DE ANNO 1844, QUIBUS FIDEI, CHARITATE, ZELOQUE PASTORALI ANIMATAE NECESSITAS DEMONSTRATUR.

GEORGIUS etc.

Venerabilibus Fratribus, Filiisque dilectissimis, universo Clero Dioecesis Nostrae salutem in Domino sempiternam!

Novem mox evolventur menses, quod, incumbentis Nobis muneris imperio compulsi, in his generalibus Regni Comitiis agamus, remoti a fidelibus, pastorali curae Nostrae creditis, remoti a Vobis, cooperatoribus Nostris in vinea Domini desideratissimis, remoti a sponsa Nostra in Christo dilectissima. Quantopere haec res gravis Nobis, atque adeo acerba accidere debeat? nullo negotio perspicere potestis, Fratres, Filiique dilectissimi. Quippe ipsa, quae in publicis hujusmodi congressibus aguntur, negotiorum indoles, non parum habet curarum, sollicitudinis; retractat animum a jucundioribus illis, seu sacerdotalis vitae, seu otii literarii occupationibus, studiis, inque pelagum propellit dissentientium opinionum, contentionum. Auget molestiam, quae vivimus temporum ratio, multum sane a prioribus illis abludens, quibus religioni reverentia constabat, authoritatibus honos, Magistratibus dignitas, moderatio omnibus, circumspectio, gravitas. Maximus autem ingratae rei accedit cumulus ex tristi illa, quae adnexa Hungariae regna, itaque nostros patrios lares conturbat animorum scissio, et secessio in partes, quaeve neminem pene relinquit intactum, ipsos lacessit insontes, ne rectissimis quidem parcens intentionibus, ac purissima quaeque stu-

Digitized by Google

dia suis implectens suspicionibus, suis exagitans opinionum commentis. Sed his etiam amplius Nos exercet desiderium Vestri Fratres, Filiique dilectissimi, ac fidelium, quos e supremi Pastoris manu recepimus, jugiter dirigendos in via salutis aeternae, ac quos tam longo temporis lapsu non datur cominus cernere, paterne alloqui, pascere verbo, consilio adjuvare. Quo jucundior utique Nobis accidere debet haec, ex imminenti sacri quadragesimalis temporis ratione oborta, opportunitas, nonnulla ad Vos verba faciendi, quae et Nostro respondeant commodis Vestris subserviendi desiderio, et Vobis, in agro Dominico excolendo desudantibus, spirituale quodpiam adferant solatium, stimulumque addant, ad contentionem in cursu vitae vestrae sacerdotalis, ad propriam Vestri, Vestraeque fidei commissorum fidelium, utilitatem.

Et quidem quod ad abstinentiae, jejuniique quadragesimalis, et largiendae, in hujus rigore, dispensationis, rationes adtinet; eatenus, perseverantibus iisdem, quae annis superioribus subversabantur, rerum adjunctis, prioribus dispositionibus Nostris hac quoque vice insistimus; nec proinde, hac in parte, quidpiam peculiarius Vobis habemus denunciandum; monemus tantum Vos, atque etiam oramus in visceribus Jesu Christi, Fratres, Filiique dilectissimi, ut nonmodo Ipsi accurata, sanctae legis quadragesimalis observantia pascere spiritum Vestrum, salutarique fidelibus Vestris praelucere exemplo, sed et hos, de vetustissimae, sanctissimaeque disciplinae hujus virtute, et utilitate diligenter edocere, et eas adminus, quas temporum iniquitas adhuc intactas permisit, religiosae observantiae reliquias, in populo christiano, omni meliore studio conservare, confovereque adnitamini, neque hac Matris Ecclesiae indulgentia, unquam ad imminutionem pietatis, sed in augmentum potius, et aedificationem corporis Christi, Vobis utendum arbitremini. Haec itaque fidei, conscientiaeque Vestrae porro relinquentes, alia nonnulla proponenda Vobis, atque commendanda, praesen-

Digitized by Google

tibus literis Nostris instituimus; quae quidem cujusmodi sint? Ipsi facile, vel ex iis, quae hucdum, simili opportunitate agere Vobiscum solebamus, facile collimabitis.

Quippe, quemadmodum nemo sanae mentis unquam dubitavit ad temporalem aeque, ac aeternam hominum felicitatem nihil tam utile esse, immo necessarium, quam sit probitas morum, verae puraeque Religioni innixa; sic nemini, rerum humanarum rationes paulo attentius expendenti, ambiguum esse potest, hunc ipsum coelestem thesaurum potissimum a sentiendi, agendi, ac vitae ratione Sacerdotum dependere. „Isti sunt," ut ait quidam ex SS. Patribus, „ministri verbi Dei, adjutores Dei, oraculum Spiritus S.; per tales Deus placatur in populo, et populus instruitur Deo." Si itaque hi, Dei et proximi exaestuent amore, si spiritu ferventes, ac zelo propagandi divini in terris Regni, superimpendi etiam cupiant pro salute eorum, quos per pascua aeternarum veritatum deducendos, e supremi Pastoris manibus receperunt: — quantacunque sit secus perversitas mentium, malitia hominum, quantuscunque livor adversariorum, assultus impugnantium, — religio, et quae hujus consectarium esse solet, innocentia morum, nedum deficere haud potest inter mortales, verum ampliores etiam, divina adspirante gratia, faciat progressus est necesse. De hoc itaque sanctae vocationis Nostrae sensu, de fide charitate animata, aliqua verba ad Vos facere; ad hanc perfectionem, a qua salubres consiliorum, sudorumque Nostrorum fructus maxime, ac pene dixerimus, unice dependent, a Patre luminum assiduis suspiriis implorandam, intime concupiscendam, omnique virium contentione requirendam, Vos denuo exhortari, hac opportunitate, constituimus, Fratres, Filiique dilectissimi.

Praecipuum sacerdotum novae legis munus est, offerre hostiam immaculatam Deo, Patri Omnipotenti, ad perpetuam nominis ejus laudem, in gratiarum actionem, pro immensis ejus in nos beneficiis, in subsidium infirmitatis nostrae, in

Digitized by Google

satisfactionem pro nostris, pro populi, pro totius mundi peccatis. Porro sacerdotum novae legis est, per Sacramentorum administrationem, coelestes illos thesauros dispensare, quos manibus Nostris creditos accepimus, tanquam inaestimabilia supernae gratiae charismata, incentiva virtutum instrumenta, et tutissima scuta, adversus tela quarumvis potestatum, saluti nostrae infestarum. Sublimia haec munera digne exequi non potest, nisi sacerdos fide viva, intimoque suae vocationis sensu animatus. Quippe hujus tantum sacrificium ascendet cum odore svavitatis, ad Patrem luminum; hujus oratio, cum pura sit, et casta, ut ait S. Augustinus, penetrabit coelos, nec usquam vacua revertetur; hujus ad altare Agni immaculati, operatio erit, juxta eundem S. Augustinum, gratum Deo obsequium, poenitentiae religio, laus tota, perfecta gratia, spes certa, sanitas incorrupta. Hujusmodi solum sacerdos, fungens ministerio sacro, poterit actionibus suis, vultus ac oculorum, totiusque corporis sui conformatione, illos in fidelibus motus excitare, nutrire, confirmare, qui bonarum intentionum, salutarium consiliorum, omnisque vitae sanctimoniae basim constituunt, et fundamentum. Procul a tali Sacerdote aberit omnis in servitio divino tepor, oscitantia, vanitatum cujuscunque generis damnanda consectatio, turpisque illa in ipsa Augustissimi sacrificii oblatione festinatio, quam non raro videmus in iis, qui corpore quidem vacant altari, speciemque referunt ministrorum Dei, sed intus in animo omni destituuntur pietatis sensu, mundanisque concupiscentiis litant potius, quam coelestibus desideriis, ac caducarum rerum se, hoc ipso, monstrant servitiis mancipatos magis, quam aeternorum bonorum gustu, et desideriis animatos; quae quidem adeo non fugiunt fidelium oculos, quemadmodum ipsi fortasse temere existimant, ut vix praetereant aliquem non penitus adhuc religionis, pietatisque sensu destitutum; adeo non subserviunt alendae in fidelium animis devotioni, ut potius lapides existant

Digitized by Google

offensionis, et ea etiam, quae praesto fuerunt, sublimiorum sensuum, sanctiorisque vitae, in populo, subruant praesidia. Sacerdos fide viva, et ardenti animarum salutis zelo incensus, sacrosanctas muneris sui occupationes, semper, tamquam exoptatissima, salutem suae curae commissorum fidelium operandi, remedia est consideraturus, proculque aberit ab impia illa, atque adeo sacrilega cogitatione, in iis caducorum lucrorum, aut quorumcunque temporalium suorum finium modos, ac vehicula inquirendi. Sacerdos, vere hoc nomine dignus, non unquam, quid corporalis molestiae sacris suis functionibus adhaereat? sed quantum per has spiritualibus proficere possit spatiis? reputabit: ideoque dum seu in sacro poenitentiae tribunali, seu ad lectulum aegrotantium, moribundorumque, opera ejus implorata fuerit, non modo se durum, morosum, indispositum nunquam est exhibiturus, sed mitem omnino, serenum, promptum, verae teneraeque dilectionis igne ferventem; qui hoc ipso non poterit non penitus suorum sibi devincire corda fidelium, quae, si in suam semel redegerit potestatem, nullos amplius in eorum, ad religionem, morumque pietatem deducendorum, cursu obices magnopere habebit pertimescendos; in quo omnis humanae prosperitatis summa, ac sublimis ille consistit scopus, ad quem tendere debemus, nos praesertim, qui portamus vasa Dei Sabaoth.

Altera muneri Nostro sacerdotali, ac pastorali inhaerens portio, est praedicatio Evangelii, annunciatio verbi. Haec quoque a tali solum, qualem innuimus, sacerdote, id vero est: tenerae vocationis suae sensu percito, potest, cum optato fructu, exerceri. Enimvero, quid est Sacerdos in ambone, nisi minister Dei, non sua, sed ejus, per quem mittitur, mandata annuncians; legatus coeli revelare jussus sanctam Dei voluntatem, utens, per vices, jam minacibus verbis ad commovenda, jam svavibus ad attrahenda corda mortalium, explicans omnem severitatem justitiae, et omnes the-

Digitized by Google

sauros misericordiae; distribuens lac doctrinae debilibus, cibum adultioribus, catechisans ignorantes, et loquens sublimis sapientiae verba perfectis; non negligens quidquam eorum, quae possint penetrare corda audientium? De institutionibus sacris necesse est egredi populum mente, magis quam ante fuerit, illuminata, corde sensionibus, quae prius non noverat, referto, cum ampliori vitii horrore, majore virtutis ardore, viva praeteritorum poenitudine, salutari metu, aut spe futurorum; necesse est, ut bona secum auferat desideria, si necdum felices in ipso invaluerunt affectus; ut commotus sit corde, si necdum est immutatus, aedificetur, si nondum est conversus. At vero quis potest hos producere fructus, haec doctrinae operari prodigia? Ducite, hic loci, Fratres, Filiique dilectissimi, paralellam, Sacerdotem inter, qui sit vir secundum cor Dei, et Sacerdotem, qui hoc solum nomen usurpet, vocationis spiritu destitutus; tribuite huic, quas vultis naturae dotes illi negate plerasque; et videbitis, quod, si arbor aestimari debeat a fructibus suis, solida gloria in illum sit redundatura. Quippe Sacerdos, quem sua virtus, pietas, zelus, contentio, venerabilem reddiderunt oculis fidelium, et cujus cor intime percellitur sublimibus, quas alios docet, veritatibus; — etiamsi author naturae mediocria tantum eidem largitus est talenta, neque organi svavitate, sermonis facundia, singulari excellat eruditione; non potest non abundantem praedicationis suae operari fructum, modo mediocribus dotibus suis, et cognitionibus, assiduo studio, experientiaque nutritis, istam suam insignem jungat fidem, zelum, ac pietatem. In tota ejus corporis specie, in tono, in oculis animadvertent fideles admirabilem illam, quae veritati, ac sinceritati suapte natura inest pulchritudinem, nec ei poterunt resistere. Dictio ejus minus fortasse erit ad artis regulas exacta, sed erit plena vis et energiae; non habebit fortasse peculiarem artis oratoriae apparatum, sed habebit vim stimulantem, quam sola pietas po-

Digitized by Google

test inspirare; habebit expressiones teneras, quae erumpentes ex corde oratoris, penetrare solent pectora auditorum; quia Dominus est, qui loquitur per os servorum suorum, datque incrementum iis, quae hi plantant, et rigant. Cum duxerint Vos ante tribunalia, ajebat Salvator, nolite cogitare quid loquamini; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis. Divina haec promissio completa est in magno Martyrum numero, quorum responsa ad nos usque perlata, post sacros libros, maximam apud Christianos semper habebant venerationem. Ad vos quoque, Fratres, Filiique delectissimi, adtinent haec divini Magistri verba; Vos quoque, sicut Martyres illi sancti, testimonium debetis reddere Domino, dum estis in conspectu populi ejus; reddetis autem indubie, si repleti fueritis Spiritu illo, qui facit sanctos. Ipse aperiet labia Vestra, et aptum reddet eloquium Vestrum, ad operandos fructus gratiae, et salutis. Non deerunt Vobis optati successus, si antequam conscendatis ambonem, preces Vestrae penetraverint caelum, quemadmodum penetrarunt ad deducendum rorem benedictionis, justi illius, de quo loquitur Sapiens; si, antequam portaveritis tabulas legis in conspectu populi, ascenderitis cum Moyse, ad summitatem montis; si cum Elia iram Omnipotentis placaveritis jejuniis Vestris, antequam invocetis ignem de coelo super idola passionum; si recluseritis Vosmetipsos ad coenaculum cum Apostolis, expectantes adventum Spiritus sancti; si repleti cum S. Stephano fueritis unctione illa, et fortitudine, cui vel obdurata corda aegre possint resistere. Scimus non paucos exstitisse praedicatores, fama celebratos, sed qui relate ad christianae pietatis fructus non erant aliud, quam aes sonans, et cymbalum tinniens. Audiebantur illi quidem magna cum attentione, atque adeo voluptatae, sed si erant inter auditores, qui, internis angustiis agitati, spiritualem inquirebant consolationem, si inveniebantur animae piae, quae dirigi cu-

Digitized by Google

piebant in via salutis, per virum habentem Spiritum Dei, peccatores, qui, tacti conscientiae aculeo, desiderio laborabant revertendi ad Dominum; — hi raro admodum ad celebres hos recurrebant oratores. Laudabatur eloquentia talium, sed sermones eorum non excitabant illam, erga ipsos venerationem, quae Dei ministris debetur, neque desiderium sub directione ipsorum vitae melioris ineundi consilia. Erant eos inter non pauci insignibus mentis, ac ingenii instructi dotibus, erant egregie versati in ipsis scripturis sacris, in traditionis fontibus, sublimibus quippe illis Ecclesiae Nostrae Patribus, quos nulla unquam aetas satis digne poterit aestimare; sed fructu vacui manserunt conatus eorum, quia fiduciam suam in humanae reponebant eloquentiae sublimitate, et non in cruce Christi, quae evacuavit sapientiam mundi, et in qua sola positum nobis est verbum reconciliationis; quia obliti sunt illius S. Augustini: in vanum extrinsecus laborat operarius, si Creator non operatur intrinsecus in cordibus; quia non erant repleti illa pietate, quae est utilis ad omnia, quae permulta supplet dona naturae, quorum quaeque, summa etiam ac nobilissima, absque illa pene inania efficiuntur.

Erraret attamen vehementer, Fratres, Filiique dilectissimi, qui existimaret, eo sensu haec dici a Nobis, quasi in sacerdote, animarumque Curatore, praeter fidem et pietatem, non assiduum quoque literarum, propriaeque, hoc in genere, sui perfectionis studium requiramus; quod quidem, si unquam, his certe temporibus nostris, perquam necessarium esse dignoscitur; quando exquisitissimis quibusvis humani ingenii fraudibus sacrosanctae Religionis fundamenta labefactari intenduntur; quando novi in dies, novique surgunt magistri, prurientes auribus, et falsis genealogiis, doctis fabulis, ac quibusvis sublaestae philosophiae commentis illam, quae sola salvos praestare potest mortales, fidem Crucis Christi subvertere, infringere gestientes; quando probitatem morum citra fidem etiam subsistere posse, aliaque

Digitized by Google

non minus falsa, quam impia dogmata, palam propugnantur, et id quidem cum multiplici eruditionis apparatu, nec minori ingenii argumentorumque subtilitate. Fallacibus his nequissimi telis, tum demum debite resistet sacerdos, si et ipse exquirat sapientiam antiquorum, narrationem conservet virorum nominatorum, et simul introeat in versutias parabolarum, id est, si et ipse instructus sit scientia sanctorum, ut possit, de lege interrogatus, respondere; possit elidere malevolorum assultus, sophismatum aculeos obtundere.

Erraret item, qui existimaret, Nos minus necessariam judicare solertem ad praedicationem verbi divini praeparationem, quam negligi scimus per nonnullos, commoditatem aut desidiam suam eo specioso praetextu involventes, quasi sufficiat fiduciam locare in Deo, et se iis, quas ab eo recepturi forent, inspirationibus, committere. Praefidentiae hujusmodi approbatio tanto longius abest a Nobis, quod ille ipse, quem tantopere in Sacerdote et animarum Curatore deposcimus, spiritus pietatis, docere nos debeat, non esse tentandum Dominum, et ad colligendam benedictionem messis necessarium esse seminare cum fletu, item praecipi nobis laborem, etsi non praecipiatur successus.

Porro, quantopere viva fides, et spiritus pietatis sint necessaria ad operandos salutares fructus in praedicatione verbi? facile possumus dijudicare, si ad eos in sacris praeconibus defectus, qui hos saepe fructus praevertunt, diligentius advertamus. Dum orator sacer res adeo vagas, altasque suis propinat auditoribus, ut hi ad earum intellectum non possint pertingere, utve nullus pene eorum has sibi queat accommodare; quid aliud subest, quam quod non satis spiritu Dei sit penetratus, qui docere eum deberet, verbi divini praecones esse omnium debitores, debereque se conformare indigentiis singulorum, cogitationibus cunctorum; debere esse infantes cum infantibus, simplices cum simplicibus? Sic Salvator supportabat imbecillitatem Apostolorum, disci-

Digitized by Google

pulorumque suorum, et in aliud tempus relegabat veritates, quas hi non poterant initio portare. Dum sacer orator nimium humi serpit; centies dicta, insipide recoquit; per comparationes indignas, expressiones viles, quandoque indecentes, sublimitatem Evangelii corrumpit, deformat, — quid causae est, quam quod defectu spiritus Dei laboret? quo si praeditus foret, intelligeret sancta sancte esse tractanda, vitandaque esse omnia, quae pietatem deprimere possint, et contemptui exponere malevolorum; intelligeret, praeconem Evangelii humilem esse oportere absque abjectione; populi captui semet accomodantem absque ruditate; ad exemplum divini sui Magistri, qui adeo tenera, una corda cunctorum commovente utebatur idearum, verborumque simplicitate, ut de eo, non obstante admirabili hac ad populi captum demissione, dici potuerit cum veritate: nunquam hominem sic esse loquutum. — Alter verbi divini praeco attenuat vim mysteriorum, moralisque Christianae robur, quasi reformidans ea in sua expromere integritate, severitate, indubie propterea, quia non est spiritu Dei edoctus; muneris esse sui cacerdotalis, denunciare depositum sanctum fidei, absque ulla imminutione, sicut illud annuciavit Apostolus, sincere, tanquam verbum Dei; et si non liceat aggravare judicium Dei, pariter non esse licitum tale extenuare; quia Dominus olim negaturus sit eos ministrorum suorum coram Angelis suis, quos puduerit sui, doctrinaeque suae coram hominibus. Sunt insuper, ruri praesertim, praedicatores, qui nihil pensi ducunt conscendere sacrum ambonem, dissipatam mentem, neglectum exterioris decoris, nimiamque gestuum et actionis incuriam, quae vilipendium pene, ac nauseam in auditoribus operatur, praeseferentes; sunt, qui digressiones sibi indulgeant morales, amaritudine potius, quam zelo refertas; qui veritates offendentes magis, et exasperantes promant, quam salutares; qui irritent potius corda, quam corrigant; qui peccatores, et non peccata videantur insectari; sunt,

Digitized by Google

qui catechisando pubem, hujus acerbos potius se exhibeant dominatores, quam patres, charitate, mansvetudine exaestuantes; perquam remoti a Salvatoris exemplo, qui parvulos fecit ad se venire, iisque, immensa cum mansvetudine, suam impertiebatur benedictionem. Quis modus hos tristes praevertendi, aut emendandi defectus, adeo vocationi nostrae adversos? certe non alter, quam ut imbui nos curemus spiritu intemeratae fidei, spiritu pietatis, dilectione animatae. Sane si per mortificationem sensuum, meditationem divinarum rerum, assiduas preces, intentionum nostrarum puritatem, benedictionem in nos derivaverimus ab alto, ut simus, qui esse debemus, potentes verbo, zelo animati, omnibus omnia facti; sermones nostri tanquam fontes aquae vivae elabentur de cordibus nostris, et decurrent per labia nostra, tanquam imbres gratiae, et salutis, in interiora fidelium, nostro ministerio commissorum.

Haec de influxu verae vocationis sacerdotalis in salutares praedicationis effectus suffecerint. Nam de momento ejus et efficacia, relate ad exemplum vitae, in quo tertia muneris, vocationisque nostrae pastoralis portio consistit, nihil est, quod multis contendere debeamus, Fratres Filiique dilectissimi, cum haec eadem pene inter se sint, atque identica. Certe fide, pietatisque sensu exaestuans Curator animarum, non modo nihil sibi indulgebit eorum, quae fidelium suorum offendere possint animos, et evadere in grege suo petra scandali; sed eum se jugiter praebebit, sermonibus suis, vestitu, gestu, toto corporis habitu, privata aeque, ac publica conversatione, omnique vitae suae tenore; ut appareat, quod quidam e Patribus dixit, misericordia in affectu ejus, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modestia in cohabitatione, patientia in tribulatione, ut facile quivis advertat, eum, juxta Apostolum, sollicite curare probabilem se exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis, videntesque fideles tam praeclaram candelabri suae

Digitized by Google

domus luccm, ipsi agnoscant voluntatem Dei bonam, et abjicientes opera tenebrarum, ambulare instituant coram Domino in via virtutis, et semita sanctitatis.

Itaque Fratres, ac Filii dilectissimi, hortamur Vos, et pro ea, qua in Vos, sollicitudinique Nostrae creditas animas, pretioso Christi sangvine redemptas, ferimur charitate, iterum, atque iterum obsecramus in visceribus Salvatoris: ut assiduis suspiriis a Deo, patre luminum, hoc pretiosum fidei, atque pietatis, tenerique sensus vocationis Vestrae donum efflagitetis; quod unum, si possederitis, pene sufficiet ad laudem ministerii Vestri, quod unum, si defuerit, frustranei, atque supervacanei erunt omnes conatus, sudores Vestri. Sancti per fidem vicerunt regna, ait Apostolus, et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. Haec fides, modo viva sit, intemerata, charitate animata, zelo, pietate sustentata, credite Nobis, nunc quoque unice salutarem potest malis nostris adferre medicinam; haec sacro sanctae Religioni suam restituet dignitatem, haec calefaciet hominum corda, ad Dei, virtutisque amorem; haec teporem illum erga res divinas, qui tantorum, tamque horribili gradu, his diebus nostris, occupavit animos, repellet; haec vitiorum monstra expugnabit; haec ipsas, quibus patria nostra nunc magis, quam unquam fortasse antehac, affligitur, dissensiones emolliet, simultates et odia franget, consopiet; haec divites praestabit fideles Vestros coelestibus donis; haec Vosmetipsos abundare faciet gaudio spiritus, laetitia sancta, et abundabit consolatio Vestra, ut sicut socii passionum estis, sic sitis et consolationis.

Non parum autem ad finem hunc sacerrimum conducet, si sacrum, quod e propinquo imminet, Quadragesimae tempus, in lucra converteritis ipsarum animarum Vestrarum; considerantes illud, tanquam tempus acceptabile, tanquam salutis dies; quibus, ex institutione Matris Ecclesiae, cumprimis amplianda sunt spatia spiritus; concupiscentiae carnis, omneque vanitatis genus, exstirpanda, reprimenda; qui-

Digitized by Google

bus hos praesertim, qui specialius in sortem sunt Domini vocati, resuscitare in semetipsis oportet gratiam, quam acceperunt per impositionem manuum Antistitis sui. Haec agite, huc omni virium Vestrarum intensione contendite, huc pedibus, manibusque elaborate; et eritis tanquam oliva fructifera in domo Dei, tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Demum obsecramus Vos, Fratres, Filiique dilectissimi, per Dominum Nostrum Jesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut in hac Nostra sollicitudine; in hac, praesentis cumprimis temporis, tribulatione; in his afflictionibus Nostris, adjuvetis Nos in orationibus Vestris, pro Nobis ad Deum. Nos vicissim non cessabimus orantes, et postulantes: ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia, et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes; Qui et paternam benedictionem Nostram, tanquam sponsionis hujus Nostrae tesseram, Vobis peramanter impertimur. Datum Posonii, Dominica Septuagesimae, in diem quartam Februarii incidente, anno Domini Millesimo octingentesimo quadragesimo quarto.

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUADRAGESIMALES DE ANNO 1845, QUIBUS VITAE SACERDOTALIS, ET PASTORALIS PERFECTIO ITERUM COMMENDATUR.

GEORGIUS etc.

Venerabiles Fratres, dilectissimi Filii!

Intuitu jejunii quadragesimalis, concedendaeque in ejus lege dispensationis, hoc quoque, quem nuper admodum exorsi sumus, anno, eam quae adusque, relate ad universam Dioecesim Nostram, praescripta fuit, normam volumus observari; impensius iterum commendantes Vobis, atque adeo injungentes in Domino, ut hac benignae Matris Ecclesiae indulgentia nonnisi tunc, ac ita, dum, et quemadmodum religiosae morum pietatis ratio, teneritudo conscientiarum, et disciplinae ecclesiasticae modus postulaverit, itaque non in destructionem, sed aedificationem Corporis Christi, omni cum sobrietate, et pastorali prudentia, uti contendatis.

Quamvis autem, hoc in genere, nil censuerimus innovandum; praesentes tamen, uberioris argumenti, literas pastorales ad Vos adornandas existimavimus, sanctissimis vocationis Vestrae finibus, hoc quoque pacto, quantum patitur tenuitas Nostra, subservire, et quae diu noctuque animum Nostrum exercet, sollicitudini Nostrae subvenire, atque adeo stimulis conscientiae, quae nil, quod ad operandam curae Nostrae creditorum fidelium salutem conducere possit, intermitti patitur, satisfacere cupientes.

Nemo quippe negaverit, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi! his, quae vivimus, temporibus nostris, ingen-

Digitized by Google

tem semet, in omni scientiarum, artium, industriaeque humanae genere, exerere perfectionis nisum, ac reapse multifarios, vereque stupendos exstitisse, vel his aliquot lustris, humani ingenii partus; quos inter exempli causa memoramus detectam illam, admirabilem vaporum vim, cujus ope remotissimi terrarum tractus, ipsaque maria ita conjunguntur ut pene omnis, e locorum distantiis oboriri solita, communicationis difficultas superata videatur. Quantae praeterea in Chemia, Astronomia, caeteris scientiis physicis progressiones, quantae novarum terrarum, marium, plantarum, minerarum detectiones? quantae geognosticarum telluris nostrae scrutationum accessiones? quantae, quamve et varietate multiplices, et ad omne utilitatis genus commendabiles, manufactorum inventiones? Sola, quae nedum parem cum his passum haud tenet, sed stagnationi, immo vero retrogradis motibus dedita conspicitur, est scientia illa, quae cunctis caeteris, seu aeterna, seu etiam temporalis humani generis spectetur felicitas, sublimior, sanctior, et utilior esse dignoscitur, immo quae sola cunctis est necessaria. Quid hoc nomine intelligamus? nullo negotio perspicitis Fratres, Filiique dilectissimi: scientiam nimirum sanctorum, scientiam, quae christianae religiositatis, morumque puritatis fructus germinet, alat, maturet; scientiam inquam et artem, confirmandi divini in terris regni, per vivam in Deum fidem, ac vitam immaculatam. Vel an non hoc arguunt recentissima ista Philosophiae, et Critices systemata, quae pene unice ad suffodienda fidei christianae fundamenta, ad evertenda, in christianis populis, morum puritatis propugnacula procusa dixeris? An non pestis hujus tristes undique conspicere licet effectus? An non exhinc potissimum repetendum est, quod uberrima illa vitiorum mater, quam indifferentismi vocabulo solent compellare, quaeve nil est aliud, quam christianae fidei defectus, tolerantiae, humanitatisque nominibus palliatus, longe lateque catholicarum etiam nationum animos de-

Digitized by Google

populatur? non hinc repetendum, quod Ecclesiae nostrae pene vacuae sint ea hominum classe, quae cultiorum, ac honoratiorum semet decorare solet compellatione? quod rari ex hoc numero conspiciantur in sacro tribunali reconciliationis, rari in participatione Altaris Sacramenti? quod nedum priscus ille disciplinae ecclesiasticae rigor pene interciderit, sed observantiae festorum, jejunii, aliisque saluberrimis Ecclesiae legibus, aperta quodammodo fronte, et elato capite contradicatur, resistatur? Quae cum ita sint, quid mirum, si castimoniae praecepta undique violari, si usuras, iniquitates omnis generis multiplicari, si ipsum ruralem populum, in paria vitia, inque ipsum jam sacerrimarum rerum contemptum, magis magisque prolabi animadvertamus? Neque vero haec meliori, in patria nostra, loco constituta possumus existimare; immo fortasse pejore etiam, quam in multis aliis nationibus; praesertim cum non exigua his ex istarum, quae posterioribus temporibus, apud nos emerserunt, scissionum, ac dissensionum politicarum, quaeve hinc subsequi necesse est, odiorum, ac aemulationum ubertate, progerminent nutrimenta. Quae res quam gravi animum Nostrum afficiat moerore? ille norit quam optime, qui corda scrutatur et renes, et cujus oculo nihil es impervium, nihil absconditum.

Lubenter concedimus, immo pro certo tenemus, Fratres Filiique dilectissimi, quod, quemadmodum causa deficientis adeo, apud populos Christianos, tenerioris in Deum pietatis, sanctioris vitae, et religiosae morum puritatis, in solum sacerdotium conjici, citra injuriam, non possit: sic nec in ejus unius situm sit potestate, cuncta pristino suo illico restituere vigori, depellere subito omnia mala, revehere, quae temporis lapsu interciderunt, bona. Sed vero nostrum est, nostrum, inquam, qui ex hominibus constituti sumus in his, quae sunt ad Deum; quibus dictum est: Vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum; nostrum, est contendere, quoad possumus, immo

Digitized by Google

nostrum est, omnes intendere mentis animique vires, si quo modo abominationi desolationis hujus queamus resistere; nostrum denique est, omnes vitae, actionum, ommissionumque nostrarum rationes sic instituere, ut aedificentur rursum muri Jerusalem; propulsetur iniquitas; justitiae et verae prosperitatis regnum, etsi lentis, securis tamen passibus restabiliatur. Multa enim possumus per eum, et in eo, qui sua nos confortat gratia sancta, et qui dedit nos in civitatem, munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum, super omnem terram.

Itaque ad sanctissimam nostram, qui sacerdotali, ac pastorali munere fungimur, obligationem adtinet, severas nobiscum ipsis inire rationes, intuitu eorum, quae ad sublimis nostri muneris pertinent partes; excutere intimas conscientiae nostrae latebras, omnem expendere vitae, ac actionum nostrarum tenorem; ut convincamur, num cuncta, quae in nostris posita erant viribus, reapse etiam praestiterimus? vel an non, quae vitanda erant, egerimus, quae agenda, neglexerimus, saltem non eo, quo oportebat zelo, studio, charitate, intentionis puritate consecuti simus? ut sic, quae eradicanda in nobis repererimus evellere, quae confracta, consolidare, quae inarescentia refocillare, quae superflua resecare, quae desunt, necessaria ac utilia, constabilire, opitulante divina gratia, valeamus.

Quod autem ad has, nobiscum ipsis ineundas, severiores rationes potest esse opportunius tempus, quam, quod e propinquo nobis imminet, jejunii quadragesimalis? de quo pulchre ait S. Bernardus, quod non solum sit ablutio peccatorum, sed etiam exstirpatio vitiorum; non solum obtineat veniam, sed mereatur gratiam; non solum deleat peccata praeterita, quae commisimus, sed etiam repellat futura, quae committere poteramus. Et si jejunium, ut dicit S. Augustinus, apud omnes Christianos, purgat men-

Digitized by Google

tem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum, et humiliatum, concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis vero lumen accendit: quanto magis solenne hoc quadragesimale tempus saluberrimos apud nos, sacerdotes, operari potest fructus, ad propagandos fines sapientiae Dei in mysterio, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram?

Hortamur itaque vos, Fratres, Filiique dilectissimi, immo obsecramus in Christo Jesu, Salvatore nostro, ut sic uti sacro hoc tempore contendatis, quemadmodum propria Vestra, Vestrisque manibus creditarum animarum salus deposcit; ut non modo ipsi disciplinam jejunii observetis quam exactissime, non modo orationi, spiritualibus aeque, ac corporalibus misericordiae operibus vacetis abundantius, sed et, revocantes Vosmetipsos ad interiora cordis Vestri, de omnis vitae, munerisque Vestri pastoralis partibus strictas a Vobis deposcatis rationes; memores rem agi gravissimi sane, pro toto hominum genere, momenti; venturumque aliquando tempus, ubi jussu supremi judicis, proferetur tremendus ille liber, continens non actiones modo, sed et intermissiones nostras.

Et quidem, si Nos audieritis, Fratres Filiique dilectissimi, expendetis imprimis quam diligentissime: num doctoris munere, sic, ut gravitas rei poscit et sanctimonia, functi semper adusque fueritis? num auditoribus Vestris, pro intellectuali eorum culturae gradu, proque temporum et locorum adjunctis, accomodum propinaveritis cibum, et indigentiis ipsorum plene convenientem? numve iis zelose, ac jugiter institeritis studiis literarum, praesertim sacratiorum, sine quibus debitum orator sacer contentionis suae fructum, vix, ac ne vix quidem sibi potest polliceri? Quippe sunt, qui nullo pene praemisso conatu, vixque aliqua adhibita praeparatione,

Digitized by Google

ambonem conscendunt, egregie suo se munere functos existimantes, si quadrantem horae illic exigant, proponentes, saepe, quae neque logico rerum nexu satis cohaereant, neque diligentiae alicujus, et praemissae combinationis exhibeant specimina, neque seu intellectum audientium illuminent seu animum moveant, sed, velut centies, et meliori fortasse jam forma exprompta, fastidium potius provocent, quam aedificationi spirituali subserviant auditorum; proptereaque frigidos, atque jejunos dimittant eos etiam, qui incalescere, verbi divini igne, et solidiori refici esca spirituali percupiebant. Qui tales sunt, agnoscant, necesse est, ignorantiam parochiani populi, teporem, et quae ex his manant impietatis, et vitiorum consectaria, non minima sui parte, in se ipsos recidere: quia nimirum ipsi pastores, ut ait Isaias, ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt; et quoniam non erant Presbyteri in populo Dei, ex quibus penderet anima illorum, et ad quorum eloquium corda illorum erigerentur: ipse populus ignorantiae involutus tenebris mansit, salutis viam ignorans. Expendere porro debetis apud vosmet ipsos: num in illa, quam catecheticam compellare solemus, tenerae pubis institutione, ita versati sitis, ut nihil omnino, hac in parte, Vestra Vobis oggerere possit conscientia; num omnia exhauseritis media persvadendi parentibus, quam culpabile sit, atque perniciosum, proles suas a saluberrimae hujus institutionis frequentatione quoquomodo retrahere, aut impedire? num Ipsi ea mansvetudine, charitate, unctione spiritus, sicque fungi adsveveritis catechetae munere, ut ipsa pubes ad institutiones idgenus sponte, ac lubenti animo accedat, easque expetat potius, quam refugiat? Quod si haec aliter se habere compereritis: firmam Vobis spem formare haud poteritis, efformandi populi, qui magis placeat Deo; populi fide viva, Christianae perfectionis sensu, et vera charitate animati. Nisi enim nobilis religiosae

Digitized by Google

pietatis arbor, plantulae instar, cordibus inseratur tenerae juventae, solidas figere radices, et maturos ferre fructus vix potest. Non absimiliter indagandum serio: num praeter publicum hoc doctionis munus, privatae etiam institutionis obligationi ex asse quisque Vestrum respondere adnisus fuerit? num innumeris illis, quae Pastori, in medio fidelium suorum jugiter manenti, semet offerunt occasionibus, religionis sensum, animis hominum instillandi, impigre et accomode usi fueritis? num audiendo blasphemias, aut indecentes observando actus, amanter errantes monueritis, pro re nata etiam corripueritis, et ingratitudinis reatum, quem hoc pacto erga Deum, bonorum omnium largitorem, incurrunt, eis ob oculos posueritis? num incuriis parentibus, obligationis erga proles; prolibus, parentes minus suspicientibus, pietatis erga genitores officium in memoriam revocaveritis? num ex ipsis, secundis aeque, ac adversis agriculturae, aliisque rei familiaris casibus, tot item aliis, quae humana vita secum fert, eventibus, divini magistri nostri sublime secuti exemplum, fidem ac fiduciam in Deum, resignationem in sanctam providentiam ejus, caeteras virtutes Christianas in cordibus fidelium vestrorum excitare, alere, curae Vobis sumpseritis? Vix quippe credibile dictu, quantum privata idgenus monita, si vera cum dilectione, puraque intentione, et modo, ac locis accomodis, fiant, in totius parochiani populi mores, et vitae rationem exerant influxum? quemadmodum enim bonos etiam mores prava corrumpunt colloquia: sic colloquia casta, pia, ac religiosa, saepe, corruptos quoque, ad probitatis viam reducunt.

Sed non solum doctionis munus nobis incumbit, Fratres, Filiique dilectissimi! Sumus insuper altaris ministri, et dispensatores mysteriorum; nec minus ab horum dispensationis modo dependet religionis, ac morum probitatis ratio, in Christiano populo, quam a verbi ministerio. Itaque in hoc, quod tantopere Vobis svademus, exercitio quadragesimali, huc pariter animum reflectatis est necesse. Adver-

Digitized by Google

tite diligenter, num ad celebrandum, quo nullum est augustius, Missae sacrificium, debite praeparati, fide, et charitate ardentes, conscientia pura, et contrito corde accedere soliti fueritis, illique omni, quam ejus sublimitas poscit, cum attentione, gravitate, sicque operam navaritis, ut praesentium fidelium corda teneris incenderentur sensis pietatis, subjectionis erga Deum, dilectionis erga Salvatorem, et gratitudinis? Si contrarium nefors obtinuit; si ipsius summi hujus mysterii celebratio indisposite, perfunctorie, ac turpi cum festinatione, per Vos, aut saltem in ecclesia Vestra, eoque modo instituta est, ut tenerius sentientium fidelium animi offenderentur potius, quam aedificarentur: nolite mirari populum Vestrum religiosi ardoris sensu magis indies magisque exui, et in eam, quae torporis idgenus consectarium esse solet, incidere morum corruptelam. Investigate pariter, num in sacro poenitentiae tribunali, saluberrimo illo provehendae morum probitatis instituto, triplici munere Vestro, judicis nimirum, medici ac doctoris, ea solertia, circumspectione, patientia, ac charitate functi sitis, quae, accedente divina gratia, admirabiles solet operari probitatis, et pietatis fructus; vel remisse, forte non tam emendationem peccatoris, quam temporis compendium, aut alienos ab instituti sanctimonia fines captando? his enim defectibus potissimum tribuendum venit, si hoc, quod ex divina institutione praesentissimum esse debet emendandae vitae remedium, quandoque peccatorum quasi provocatio fiat, et incitamentum. Dispicite porro: num in administratione sacramenti regenerationis non indigna cum festinatione, et perfunctorie, sed ita versati sitis, ut adstantes aedificati recesserint, gratias agentes, Deo, et Salvatori Jesu Christo, qui se, charosque suos, salutaribus his aquis a culpae originalis reatu liberare, nominaque sua, et illorum, libro aeternae vitae inscribi voluerit? Expendite quoque num ad infirmos vocati, prompte et spirituali cum solatio, vocationi obtemperaveritis, vel fortasse

Digitized by Google

renisu, tergiversatione, duris expressionibus Vestris, causa exstiteritis, quod nonnulli e fidelibus, manibus Vestris creditis, absque debita praeparatione, et absque participatione sacramentorum, quae aegris, ac moribundis et robur addere debent, et consolationem impertiri, aeternitatis viam ingressi sint? quod quidem et Vos ingenti olim obnoxios redderet responsionis oneri, et gravi caeteris fidelibus deserviret offendiculo.

Est adhuc unum, hujus per Nos Vobis propinati examinis objectum, quod si intermitti contingat, pene cuncta caetera optato fructu destitui, atque adeo in irritum abire necesse est. Intelligo puritatem conscientiae propriae, propriae Vestrae vitae rationes. Quippe nos imprimis Fratres, Filiique dilectissimi, qui sacro fungimur ministerio, et sumus dispensatores divinorum charismatum, prae caeteris cunctis oportet non modo esse sine querela, sed et lucentes in medio nationum sicut luminaria, verbum vitae continentes, ad gloriam in die Christi. Eo itaque tendere debet omnis contentio nostra, ut nihil in actionibus nostris reperire possint fideles, quod dissentiat doctrinae, mananti per labia nostra; immo ut reperire possint expressam in moribus nostris vivam imaginem eorum, quae verbis solemus adumbrare. Imprimis autem sollicite circumspiciamus oportet, an non alicui minus castae conversationis suspicioni ansa per nos fuerit suppeditata? Scitis dilectissimi, cuncta citius indulgeri per fideles Pastori, quam qualemcunque hujus vitii imputationem; cujus vel umbra fiduciam evertit parochianorum, despectum parit bonorum, et omnis, quamcunque zelosae secus operationis, fructus intervertit. Claras, pulchre ait Cassianus, suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt; — qui graviorum celsa petimus, vitiorum humilia deseramus: sit in nobis frons libera, ut aliorum

Digitized by Google

possimus emendare peccata; aequat crimen omne, quod inquinat, et ideo dissimilis ab accusato debet esse, qui judicat. Expendat non minus unusquisque apud animum suum: num sobrietatis, inque rebus omnibus temperantiae leges adcurate solitus sit observare? quomodo enim intemperantiae, ac ebrietatis vitium, quod tantopere invalescere pergit in patria nostra, exstirpare in populo, aut saltem imminuere poterit sacerdos, qui ipse adeo oblivisci potest educationis, vestis, ac sublimis vocationis suae, ut brutali appetitui sensuum, quam imperio spiritus, et religionis praescripto malit obtemperare? Ebrietas, ut egregius quidam Doctor ait, mater est litium, furoris generatrix, petulantiae magistra; hanc qui habet, homo non est, hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum: haec enim est rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, et pudoris injuria. Ubi ebrietas regnat, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur. — Ebrietas in laico crimen est, in sacerdote sacrilegium, quia alter animam suam necat vino, alter spiritum sanctitatis extinguit. Advertat porro animum unusquisque Vestrum, Dilectissimi! num charitatem erga fratres, misericordiam erga pauperes, et quovis calamitatis genere afflictos, teneram dilectionem erga curae suae spirituali creditos, benevolentiam, facilitatem, mansuetudinem erga omnes, conscientiose servaverit? et, si in his exerasse semet, praesertim gravius, frequentius, repererit: nolit mirari dissidia, odia, rixas, immisericordiam, reliquam contra charitatis legem in credito sibi grege, invalescentem exerrationum, praevaricationumque turbam. Si sacerdos, et Pastor turbatam in populo pacem, ac mutuam charitatem, nedum revehere monitis, precibus, intermediatione sua haud connititur, sed in scissionibus partem capit;

Digitized by Google

si incendit animos, factionibus operam navat, immiscendo semet, quae nihil ad se pertinere deberent, saecularibus curis, et negotiis: an mirum cuiquam videri debeat, dissidiis, ac turpibus cuncta misceri aemulationibus; ut adeo vix pacis ejus sanctae, per Salvatorem nostrum de coelis adlatae, vix dilectionis illius mutuae, quae tantopere olim distinguebat Christianos a cunctis caeteris mortalibus, reperire amplius sit vestigia. Si porro ipse Sacerdos et Pastor, neglecta, aut parum sibi cordi sumpta rerum spiritualium cura, totus temporalium lucrorum conquirendorum semet immergat curis, et mammonae corradendae praecipuam vitae suae impendat partem: num expectari potest aliud, quam ut populus, Pastoris sui secutus exemplum, non regnum Dei, et justitiam ejus prae caeteris cunctis sibi quaerenda existimet, sed, his insuper habitis, unice, quae hujus vitae, mundique sunt, bona consectetur, ipsa justitiae, persaepe aequitatisque lege violata? Non absimiliter, si fideles Pastorem suum lusibus, evagationibus deditum observent, si videant, eum abjecta veste sui ordinis, depositaque cum ea, ut passim fieri assolet, gravitate, ac modestia sacerdotali, per compita, aut plane suspecta loca circumcursare: num mirari quemquam subeat, videre labascentem in dies apud fideles erga Sacerdotium reverentiam, infractam fiduciam, et uberem, quae exhinc pullulare solet, messem corruptionis?

Haec memoranda Vobis censuimus, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, non quasi ignorari ea a Vobis existimaremus, probe memores, Nos scientibus legem loqui; sed quia profecta ab eo, qui divinae voluntatis decreto, imparibus licet meritis, Praesulis apud vos fungitur ministerio, quique Vos, qua curae suae creditos, tenera in visceribus Jesu Christi complectimur charitate, aditum ad mentes, ad corda Vestra repertura Nobis persvasimus. Iisdem nequaquam cuncta, ad quae, defluo sacro hoc quadragesimali tempore, revocanda volumus studia Vestra, exhauriri

Digitized by Google

satis intelligimus; speramus tamen, ea aliquod saltem meditationum Vestrarum compendium, et viae, quam in his tenere debeatis, indicem Vobis suppeditatura. Et quamvis similia, et cum Nostro ad hanc Cathedram Episcopalem aditu, et aliis occasionibus, Vobis per Nos proposita fuerint: rememoranda tamen, eadem hac quoque vice, arbitrabamur, vel ad alleviandam conscientiam Nostram, hancque gravem sane, quam debilibus humeris Nostris supportandam habemus sarcinam sollicitudinis pastoralis. Quae si aditum ad pectora Vestra repererint, fiet indubie, divinae gratiae numine adspirante: ut sensim repressis, pugnantium adversus Civitatem sanctam Dei omnis generis nequitiarum phalangibus, sicut regnavit peccatum in mortem, sic regnare incipiat gratia per justitiam in vitam aeternam; fiet, ut progrediente omnis generis cognitionum humanarum cultura, ea, quae caeteris cunctis tanto est praestabilior, quanto terra eminentiores sunt coeli, scientia quippe vitae sanctae ac immaculatae, de qua dictum est: quod melior sit aquisitio ejus negotiatione auri et argenti primi, et purissimi fructus ejus; quae si adsit sola, pene sibi sufficit; si desit, caetera cuncta in irritum recidunt; ut, inquam haec quoque saluberrima scientia, haec ars salutaris nedum retrogrados haud faciat passus, sed in dies uberiora capiat incrementa, et denuo illos, qui orbem terrarum in admirationem rapuit, perfectionis christianae fructus operetur.

Oramus itaquae Vos iterum, atque iterum, Fratres Filiique charissimi, ut huc serio revocetis animos Vestros, eaque cum sublimi destinationis, ac ministerii Vestri finibus, seposito quovis sensuum lenocinio, philautiaeque studio, conferatis. Tempus, credite Nobis, breve est, et invalescunt mala super capitibus nostris; utinam non mens nobis redeat sero, et irrita fiat contritio nostra.

Pro coronide epistolae Nostrae, verba vobis repetimus

Digitized by Google

Doctoris gentium, ad Romanos scribentis: Qui docet, in doctrina; qui exhortatur, in exhortando; qui tribuit, in simplicitate; qui praeest, in sollicitudine; qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhaerentes bono, charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes, sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes, benedicite persequentibus Vos, benedicite, et nolite maledicere; gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus, idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Et: gratia Domini Nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis. Amen.

Datum Zagrabiae, Dominica Septuagesimae, in diem decimam nonam Januarii incidente, anno Domini Millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, Episcopatus Nostri octavo.

Digitized by Google

ENCYCLICAE LITERAE QUOAD VESTIS ECCLESIASTICAE JUGEM DEPORTATIONEM, DIMISSAE ANNO 1845.

Reverendissime, vel Adm. Rev. Domine Vice-Archi-Diacone, etc.

Tam ex plurium Vice-Archi-Diaconorum submissis ad Consistorium meum Episcopale tabellaribus relationibus, quam et nonnullorum Cleri disciplinam zelantium virorum fidedignis contestationibus dolenter sane intellexi: a pluribus per mapalia Dioecesis meae dispersis, in cura animarum, constitutis, ac alia quoque offcia tenentibus Sacerdotibus, abjecta quae Clericos decet, talari toga, deportari vestes, quae quemadmodum saeculi vanitatem in tota sua forma sapiunt, ita eas deferentis sacerdotis, immo totius status ecclesiastici existimationi non possunt non derogare.

Concilium Tridentinum Sess. 14. Cap. 6. de Reformatione, Sacerdotibus honestum habitum clericalem Ordini, et dignitati convenientem praescribit: et eos, qui juxta Episcopi mandatum talem non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, officio, et Beneficio, ac fructibus, reditibus, et proventibus ipsorum Beneficiorum, nec non, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum cöercendos praecipit — et iterum Sess. 24. Cap. 12. Vestitus decentis tam in Ecclesia, quam extra Ecclesiam deportationem imponit.

Digitized by Google

Synodus provincialis de anno 1611. Tyrnaviae celebrata sub Cardinale, ac Primate Regni Hungariae Francisco Forgach, cui Episcopus quoque ejus temporis Zagrabiensis, Simon Bratulich, et Georgius Ottaucius Archi-Diaconus et Canonicus Zagr. intervenerunt, pariter reflexe ad praeattactam Conc. Trid. dispositionem mandat: ut Clerici omnes habitum clericalem, et Tonsuram decenter gerant.

Synodus dioecesana 4. Episcopi Borkovich, de anno 1687, Cap. 7 Clericos vestes, proprio congruentes ordini, deferre iubet. Synodus vero Mikulichiana de anno 1690, dum indecentes mores alienos a clerico esse debere commemorat, una deportationem vestis talaris praescribit, et severissime interdicit, quidquid decentiam vel modestiam sacerdotalem non sapit.

Episcopus Franciscus Thauzy in sua, ad Clerum dioecesanum dimissa pastorali, caetera inter, vestitum brevem Clero prohibet. Sed et ante 18 abhinc annos ad aeternas sedes evocatus Episcopus Maximilianus, in Statutis Conventus totius Dioecesis, a se anno 1803. celebrati Cap. 2. posteaquam de exemplo, quo praelucere debent in sortem Domini vocati aliis fidelibus, uberius disseruisset, et sacerdotes Dioeceseos suae patentem tonsuram clericalem deportare jussisset, omnem aliam habitus, et ornamenti novitatem prohibet, et ita clericalis vestis deportationem imponit, ut obligationi de clericali vestitu constanter deferendo, scrupulose satisfaciant.

In conformitate horum, non minus ac competente sibi authoritate immediatus praedecessor meus Alexander, indigne ferebat; immo plures ad se venientes Sacerdotes personaliter quoque, ac gravius reprehendit, dum seu capillos, seu talarem vestem ad normam saeculi, vel in aliqua sui parte conformatam, deportabant; manifesto toti Dioecesi argumento: omnem illum habitum ei fuisse in clerico invisum, qui saeculi vanitatem spirat.

Digitized by Google

Si prioribus jam temporibus tanta fuit Praesulum de ferendo, et conservando deportandi continuo à Sacerdotibus vestitus ecclesiastici mandato, cura et sollicitudo, ut non contenti, dum in vivis agerent, observantiam illius adurgere, sed paternae hujus, decorem status conciliantis providentiae ad posteros etiam documenta transmiserint: quanto magis nunc saeculo quotidie in deterius vergente, adoptata apud plures sacerdotes ludicra saecularis vestitus ratio, ingratam mihi adtollendae vocis imponit necessitatem, saluberrima majorum instituta, et in his fundatam Cleri existimationem manutenendi.

Itaque muneris mei ratione, in his praesertim rerum adjunctis, vigilantiam à me deposcentibus, jam per pastorales meas, occasione aditus mei ad hanc sedem Episcopalem dimissas, tum vero medio circularium literarum ad Clerum editarum, pari cum decessoribus meis authoritate prohibui: ne dioecesani mei Sacerdotes pro ea, qua erga statum suum ferri debent, aestimatione, et quam praestare mihi obligati sunt, obedientia, quiqui illi sint, aliter quam veste talari induti, dignitati, ac praerogativae unicuique propria, incederent, et vestirentur. Paterna tamen haec monita, et semel atque iterum repetitae in specifico etiam reprehensiones, nonnullorumque Vice-Archi-Diaconorum vigilantia tollere non potuerunt praemissam vestitus in pluribus sacerdotibus vanitatem, qui, quo plus iniquitas temporum minitari coepit Sacerdotio, eo celeriori passu in viscera propria saevire pergunt, dum jam in laxis galigis, jam ad saecularem vanitatem composita curta veste, imposita insuper capiti mitrella, absque omni Sacerdotii signo, occasione nundinarum et secus, fumipoculo instructi, per pagos, oppida, vicos et compita Civitatum obambulare non erubescunt, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alium in carnalibus; nec certe alio, quam tristi illo, atque

Digitized by Google

adeo deplorando studio incitati, ut abjecta status sui veste, expeditius vacare possint saecularibus desideriis.

Quapropter potestatem concessi mihi à Domino muneris prae oculis habendo, in virtute sanctae et salutaris obedientiae, omnibus creditae mihi Dioecesis sacerdotibus denuo impono: ut vestitum saecularem, qui in plerisque non toties inallegatam commoditatem, sed abludentem a sancta vocatione spiritum produnt, et timoratis offendiculum praebent, penitus deponant; patentem tonsuram jugiter deferant; a capillorum qualicunque ad genium ventosi saeculi conformatione abstineant, ac certo sibi persuasum habeant, quod convictus, ad coërcendos plurimos severas paucorum poenas requiri, posteaquam de praevaricatione tali fidedigne mihi relatum fuerit, iis contra inobedientes mediis processurus sim, quae aliis quoque deportationis similis vestitus omnem adimant animum. Datum e Consistorio Nostro Episcopali Zagrab. die 19. Dec. 1845 celebrato.

Georgius, *Episcopus m/p.*

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUADRAGESIMALES DE ANNO 1846, QUIBUS DUPPLICANDI FERVORIS PASTORALIS NECESSITAS EX TEMPORUM ADJUNCTIS COMPROBATUR.

GEORGIUS etc.

Venerabiles Fratres, Filii dilectissimi!

Dominus ac Salvator noster, Jesus Christus, antequam ad praedicationis accederet munus, testantibus sacris paginis, in deserti recessit solitudinem, quadraginta dierum defluxu, jejunio illic, piisque ad Patrem suum coelestem precibus vacaturus. Cum ipse non modo ab omni immunis esset labe peccati, sed et verae perfectionis prototypon, atque adeo splendor gloriae Patris: praeparatione idmodi haud utique indiguit, sed, ut advertunt sancti Patres, ingerere, hoc suo facto, nobis, qui in sortem ejus vocati sumus, voluit, sublimitatem vocationis nostrae, exemplumque praestituere, quanta solertia praeparari nos oporteat ad hoc sacrosancti genus ministerii? Hinc est, quod Ecclesia sancta Catholica, fidelissima quippe ejusdem divini institutoris sui sponsa, materque nostra tenerrima, salubri lege quadragenarium, aut, ut compellare solent, majus illud instituerit jejunium, quod nunc itidem e proximo nobis imminet celebrandum. Quod quidem tempus, sicut purificandis, ut verbis utar S. Leonis Papae, cunctorum fidelium animis atque corporibus, apostolicis praeceptis institutum nulli dubitamus: sic nobis sacerdotibus eo imprimis esse destinatum perspicimus, ut serias nobiscum ipsis, de quibusvis sacri muneris nostri parti-

Digitized by Google

bus, ineamus rationes, dispersa colligamus, noxia resecemus; quod frigidum in nobis est, subjecto salutari igne refocillemus; quod devium in semitam reflectamus; quod extenuatum corroboremus; quod evanidum, jugis orationis, piae meditationis, omnisque generis bonorum operum exercitio reficiamus. In hac itaque salutari operatione Vos, Fratres Filiique dilectissimi, adjuvare, pro tenuitate Nostra, percupientes, quod fecimus hucdum in singulos annos, hac quoque vice, verba quaepiam salutis Vobis impendenda decrevimus; quod quidem tanto expeditius Nos facere posse censuimus, quod relate ad ipsam dispensationis, in lege abstinentiae mensuram, modumque, nil novi, atque differentis ab iis, quae proximis his annis in Domino constituimus, Vobis praescribendum haberemus, praestitutae prioribus annis legi, permanentibus iisdem, quae hucdum obtinebant, Dioeceseos Nostrae, temporumque adjunctis, hoc quoque anno insistentes.

Multa quidem, vel proxime praeterlapsi anni defluxu, tum in exercitio creditae Nobis sacrae potestatis, pertractationeque negotiorum, ad regimen Dioeceseos pertinentium, tum occasione earum, quas juvante Domino peregimus, lustrationum canonicarum, se Nobis obtulerunt, quae materiam, eamque sat copiosam possent suppeditare, de singulativis quibusvis muneris pastoralis partibus disserendi: Nos tamen magis e re Nos facturos arbitrabamur, si missis rivulis, ad ipsum potius accesserimus fontem, ex quo illos manare necessum est, et a cujus puritate atque abundantia, illorum quoque ratio potissimum pendet, et omnis foecundandi vis, ac salutaris effectus. Intelligimus verum, vivumque amplius provehendae divinae gloriae, et salutis animarum zelum; quem, si defuerit nobis, sarcire nulla alia res poterit; si autem, adspirante Numinis gratia, penitius inederit pectoribus nostris, indeficiens in nobis perennabit scaturigo, ex qua jugiter quaqua versum decurrant aquae salutа-

Digitized by Google

res, foetificantes cuncta vitae spiritualis, aeternarumque pascua veritatum.

Non ignoratis Fratres Filiique dilectissimi, tamquam docti legem, et scientiam sanctorum, Imperatorum gentilium, aliorumque persecutorum tyrannidem, Religioni et Ecclesiae tam parum intulisse nocumenti, ut ei profuerit potius; nec unquam virtutis christianae puritatem in majori emicuisse gloria ac splendore, quam dum rivi sangvinis Martyrum, undique profluentes, agrum foecundabant, in quo reconditum erat divinum semen. Scitis, haereses et schismata, quantumvis non levem materno Ecclesiae cordi inferrent dolorem, grandiaque saepe portenderent pericula: eo taman evasisse semper, ut veritas catholica tanto nobiliori resplenderet fulgore; quanto crassiori videbatur obduci caligine. Quod quidem pari ratione cum ingente ista, quae jam trium saeculorum lapsu perdurat, doctrinae, et unitatis scissione, eventurum tanto fidentius speramus: quanto luculentiora in dies digiti providentiae divinae, hac quoque in parte, se oculis, mentibusque nostris sistunt indicia. Iste quoque novissimus petulcientis carnis, et ingenii partus, qui praecuntibus Ronge, Csersky, aliisque in profundum incredulitatis, impietatisque barathrum lapsis gregis dominici mercenariis, moerore complevit bonorum omnium animos, asserti Nostri veritatem non obscure adserit: nedum enim, vel in ortu suo, haud obfuscat Catholicam lucem, sed magis etiam clariorem reddit; cum parte ab una vires quodammodo elementi catholici excitet, ad ejiciendam, generosi instar liquoris, omnem immundiciem, parte vero ab altera, fidelibus mentibus stimulum subjiciat ad majorem vigilantiam, majoremque pietatis fervorem. Ut adeo non facile in iis partibus, quas haec pestis invasit, amplior in frequentandis sacramentis contentio, solertior in cultu divino participatio, laetiorque in virtutibus progressio observata fuisse, fidedignis nunciis referatur, quam a quo novum hoc obortum est impietatis genus. Ipsa adeo illa falsarum genealogia-

Digitized by Google

rum, et doctarum fabularum coacervatio, quam, philosophiae nomine insignitam, his praesertim posterioribus aliquot lustris, doctores prurientes auribus, aut ipsi vanis decepti opinionibus, propinare non cessant incautis, quantumvis gravia Ecclesiae inflixerit vulnera, concutere tamen non potuit aedificium, divina virtute immobili petrae superstructum, et cujus angularem lapidem semet ipsum constituit Salvator noster. Immo in iis recte populis, regionibusque, in quibus hi praeposteri humani ingenii, multiformisque malitiae partus lucem conspexerunt, catholica fides, pietasque religiosa, novas quodammodo recipit vires, novum splendorem. Quippe varia, eaque tristissima experientia didicerunt hi populi, quod, ut ait Ecclesiastes, non sit sapientia nequitiae disciplina, et non est cogitatus bonus peccatorum prudentia, et quod non sit sapientia vera, nisi quam mittit Dominus de coelis sanctis suis, et a sede magnitudinis suae, ut nobiscum sit, et nobiscum laboret, ut sciamus, quid acceptum sit apud ipsum; non sit libertas vera, nisi libertas filiorum Dei, libertas, qua Christus nos donavit. Sed nec llud, recentioribus itidem his temporibus exortum, atque invidia nutritum systema, exuendae honoribus, bonisque temporalibus Ecclesiae, illos exeruit effectus, quos impii ejus authores sibi pollicebantur. Existimabant quippe hi, religionem humanis ornamentis exutam, suam in oculis hominum existimationem, suamque in mentes ac animos mortalium vim amissuram. Sed vero contrarium pene evenit, ut adeo illic passim et sacerdotium majori perfrueretur aestimio, et salutaris doctrina apertiora corda reperiret, ubi Ecclesia, ministrique ejus possessionibus suis, et dignitatibus inique fuerant spoliati; novo documento, religionem catholicam interna sua, eaque divina subsistere virtute, neque magnopere humanae gloriae, et caducarum rerum subsidiis indigere.

Cuncta itaque haec malorum genera, quantascunque illa sacrosanctae religioni et Ecclesiae nostrae, intulerint acerbi-

Digitized by Google

tates; eam tamen infringere et in discrimen adducere nunquam potuerunt, nec poterunt futuris etiam temporibus: illius enim defenditur virtute, cujus potentiae non resistitur; illius numine protegitur, qui se cum suis, ad consummationem usque saeculi perseveraturum recepit, et cujus veritas permanet in aeternum.

Periculosior his, atque adeo unicus pene, qui magnopere pertimescendus sit hostis, est: somnolentia, remissio, aut plane torpor fidelium, sed imprimis eorum, qui Altaris ministerio, et dispensandis coelestibus mysteriis sunt deputati. Quippe hoc est illud interioris morbi genus, quo sensim in corpore ipsa humorum massa corrumpitur; quo cuncta subin membra corripiuntur, et quoniam resecari non possunt, totum corpus miserum in modum affligitur. Nimirum Dilectissimi! ubi tepor hujusmodi invalescit, ubi zelus domus Dei, et operandae animarum salutis evanescit in sacerdotio: saecularia desideria succedant necesse est. Ex his autem desideriis minus probatae conversationes, laxatio disciplinae, orationis, piarumque meditationum neglectus, abjectio ecclesiasticae vestis, et cum hac, modestiae quoque clericalis, procacitas verborum, et subin graviores etiam praevaricationes, et scandala propululant. Sic magis, magisque in sacerdotio tali evanescit scientia sanctorum, illaque unctio spiritus, quae tantopere utilis, atque adeo necessaria est ad aedificationem Corporis Christi. Cuncta Sacerdotum idgenus studia in rerum materialium curam, et aurae saecularis captationem evaporant; eoque certius deficit salutaris ille verbi divini cibus, quo solo nutriuntur hominum mentes ad vitam aeternam, et quem frangere non potest, nisi qui modum ejus debite adparandi et propinandi, tota virium suarum contentione inquisierit, didicerit. Invalescente porro taliter commoditatis, et philauciae studio; nec sacramentorum administratio ea promptitudine fit et charitate quam summum rei exigit momentum, nec ipse divinus cultus ea instituitur pietate,

Digitized by Google

et gravitate, quam augusta ejus dignitas omni sibi jure deposcit. Denique haec necessario important jacturam fiduciae et aestimii erga religionis ministros; quibus amissis, ea etiam, quae cum his pari passu ambulat, erga religionem ipsam veneratio, sensim e cordibus evanescit hominum, aut saltem attenuatur vehementer; sicque, laxatis sensualitati, atque licentiae froenis, ea, quam irreligionem, impietatemque dicere consvevimus, calamitas, in ipsis etiam catholicae veritatis luce gaudentibus populis, invalescit. Impleri tunc oportet, quod legimus apud Ezechielem: facti sunt greges mei in rapinam, et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor: neque enim quaesierunt pastores gregem meum, sed pascebant semet ipsos, et greges meos non pascebant.

Haec sane calamitas eo potissimum tristis evadit, atque perniciosa, quod nullam pene potentis illius ab alto auxilii spem admittat, quam secus, in cunctis adversitatibus suis, experiri solet Ecclesia. Hoc etenim auxilium, ob eam recte charitatem, quae animat corda fidelium erga Redemptorem suum, solet impendi in caeteris adversitatibus; quomodo ergo eam sperare poterunt, in quorum pectoribus illud ipsum deficit, quod hanc provocat coelestem opem, ejusque constituit fundamentum? In hunc semel statum reductis nil profecto superest aliud expectare, quam ut recedat ab ipsis regnum, et transferatur in gentes, facturas fructus ejus. Licet quippe veritatis verba solvi non possint, nec cessatura sit in his terris vera Ecclesia, ad consummationem usque saeculi, quemadmodum divinus ejus Institutor solemni pollicitus est asseveratione: evenire tamen potest, prout tristium idgenus casuum haud pauca, in hodiernum usque diem, suppetunt exempla, ut integri etiam populi, apud quos illuxerat jam, immo et effloruerat lux catholicae veritatis, hanc rursus amittant, inque seu perniciosos incidant erroris scopulos, seu

Digitized by Google

in pristinas ignorantiae tenebras relabantur. Infelicitatis vero hujus nullibi fere praesentius adest periculum, quam in iis recte agri Dominici mapalibus, in iis provinciis, aut regionibus, quae ab acatholicorum coetibus liberae, in media quasi catholicae pacis et securitatis vivunt prosperitate. Dormiente quippe hero, supervenire solet inimicus homo, agro, bono semine referto, zizania superseminaturus. Quod quidem tanto minori subest dubio: quanto et de praesenti certiori docemur experientia, earum pene partium, quae variis permixtae sunt erronearum confessionum generibus, et clerum sacratiorum literarum studiis esse magis percultum, zeloque animarum ferventiorem, et populum catholicum in fide ac morum pietate probatiorem. Quo majori nobis, ne in hoc infelicitatis incidamus barathrum, evigilandum est solertia: cum patria haec nostra ea hucdum perfruita sit prosperitate, ut pene solis consisteret sacrosanctae fidei catholicae cultoribus. Eo itaque elaborandum nobis est omni studio, ut excussa somnolentia, convalescat in pectoribus nostris divinus hic zeli spiritualis ignis; ut nil magnopere desideret cor nostrum, nisi quae ad gloriam Dei, et salutem pertinent animarum; ut huc cunctae tendant cogitationes, huc studia, huc suspiria nostra, nec quidquam in rebus humanis seu tam jucundum arbitremur, quod huic sublimi praeferendum fini, seu tam arduum, quod non, ejus gratia, prompto animo subeundum nobis videatur.

Si de modo quaeritis, Fratres Filiique dilectissimi, pretiosum hoc carisma augendi in nobis, aut si plane deesset, comparandi? non possumus svadere aliud, quam piam, assiduamque ad Patrem coelestem orationem, quae, ut ait S. Augustinus, est animae sanctae praesidium, laus tota, perfecta gratia, spes certa, sanitas incorrupta. Agitur quippe de luce, quae non acquiritur nisi a Patre luminum; agitur de calore cordis, quem inspirare non potest, nisi qui focus est omnis charitatis Deus; agitur

Digitized by Google

de dono, quod impertiri non valet praeterquam is, a quo bona cuncta data proveniunt. Jungendum orationi jejunium, et subactio legis membrorum nostrorum sub imperium legis mentis nostrae. Jejunium, pulchre ait S. Bernardus, orationem, devotionem et fiduciam donat; oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium meretur gratiam orandi; jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium. Quod demum orationi deest, et jejunio, misericordiae spiritualis, temporalisque operibus sarciendum. Cum effuderis esurienti animam tuam, ait Isaias propheta, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebrae tuae erunt sicut meridies, et requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, et splendoribus implebit animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquae.

Multum porro ad sublimis hujus sacerdotalis virtutis assecutionem conducet, si sanctimoniam vocationis nostrae frequenti meditatione expenderimus, ejusque sensum vivae imaginis instar, impresserimus cordibus nostris. Cuncti perspicimus, nullam dari posse nedum aeternam, sed ne temporaneam quidem prosperitatem, absque probitate morum, et studio virtutis: ipse quippe felicitatis conceptus repugnat sceleratae vitae, impietatique. Omnes pariter convincimur, veram solidamque virtutem, sine religione non posse consistere, nec constitisse unquam, praesertim ubi de populis integris agitur, atque nationibus; neque illam probitatis morum à religione discriminationem, quam seu prisci quidam philosophi, seu impia ista saeculi nostri procacitas stabilire adnitebantur, unquam alibi exstitisse, quam in crassis humanarum mentium aberrationibus. Quid igitur potest vel cogitari sublimioris, quid pro humano genere salubrioris, vocatione nostra, cujus summa est, homines per religionem ducere ad

Digitized by Google

probitatem, per probitatem ad felicitatem, aeternam aeque ac temporalem? Si haec serio expenderimus apud animos nostros: nisi omnis tenerioris sensus expertes simus, non possumus non summa erga statum nostrum feri veneratione, non possumus non exultare animo, quod hujus tam sanctae, tam salubris haereditatis pars nobis obtigerit; non possumus non intimum in cordibus nostris persentiscere desiderium, tam praeclarae vocationis dignos faciendi fructus. Ex hoc vero desiderio proba, firmaque proposita subsequantur est necesse. Quid etiam sunt, Fratres Filiique dilectissimi, cuncta caducae hujus vitae solatia, in comparatione beatae illius conscientiae, homines e vitiorum coeno eripuisse, et manu prehensos, deduxisse in via virtutum, in qua felices patresfamilias, probi patriae cives, beatam degere possint vitam, inque portum aliquando pertingere salutis aeternae? Quae alia gaudia digne possunt comparari cum illa animi voluptate, quam persentiscit Curator animarum, dum tenellas crediti sibi divini agri plantulas, corda quippe pubis, majores in dies, majoresque, in doctrina salutis, facere videt progressus, sicque gratiores semper, et acceptiores reddi coram Deo et hominibus? dum in adolescentibus modestiam, in virginibus pudicitiam, in conjugibus castam dilectionem, et intimam animorum unionem, in parentibus vigilem sobolis curam, in senibus piam in divinam voluntatem resignationem, in omnibus tenerum religionis sensum, vitii horrorem, virtutis amorem observat invalescere? dum illic, ubi blasphaemiae ante detonabant, nunc divinas laudes personare; ubi impudicitia regnabat, nunc timoratam vitae christianae puritatem dominari; ubi odia et inimica studia dissociabant ejusdem patriae, immo ejusdem familiae membra, nunc fraternam animorum unionem invectam videt? Certe humano sensu destitutus sit oportet, quisquis ille sit, qui haec adspiciens, non vivam persentiscat in pectore suo jucunditatem; quanto autem ampliori laetitia exultare debet cor

Digitized by Google

animarum Curatoris, qui conscius sibi sit, benignum Numen ad maturandos nobilissimos hos fructus, sui, qua ministerii sacri gratia dignati, opera usum fuisse; suis post eum, qui solus dare potest incrementum, studiis et fatigiis, haec bona, hanc prosperitatem invecta haberi. Ipsi saeculi filii, qui juvenili impetu acti, sensuum aliquando, mundique litabant deliciis, non raro maturescentibus annis, se totos misericordiae operibus dedere solent. Tanta quippe est svavitas, quae manat ex conscientia, felices reddidisse multos, ut ea pene sola possit hominum, eorum etiam, qui oppositam olim viam ingressi sunt, animos exsaciare.

Felices nos, Fratres Filiique dilectissimi, si haec sensa aditum invenerint ad corda nostra, illicque tam profundas fixerint radices, ut in omnem transeant nostram cogitandi et agendi rationem. His perciti sensis, non ea solum vitare contendemus omni studio, in vitae et morum nostrorum ratione, quae quoquo modo divinis humanisque adversa sunt legibus, sed ab iis etiam sollicite cavebimus, quae vel umbram peccaminosae alicujus in nos conjicere possint conversationis: probe scientes, quod ad obtinendum sanctae vocationis nostrae finem, proprium vitae nostrae exemplum non modo efficacissimum sit medium, sed adeo necessarium, ut sine hoc cuncti labores nostri cassi pene evadant ac infructuosi. Nullum ego, ait S. Gregorius, consilium melius arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quae opporteat fieri, provocans eum ad meliora, et consulens ei neque verbo, neque lingva, sed opere et veritate. Iis, quae memoravimus, sensis penetratus Curator animarum, nil magis cordi sibi sumet, quam ut teneris pubis mentibus, cordibusque salutare lac doctrinae coelestis quam accomodissime instilletur; plane persvasus se nedum uberem, sed vix aliquam in agro dominico, suis credito manibus, sperare posse messem, nisi has plantulas singulari prorsus cura su-

Digitized by Google

sceperit fovendas, percolendas, ne in ipso suo ortu, seu solis ardore exurantur, seu infestis volucribus, bestiisque cedant in rapinam. His sensis, id vero est, sincero animarum zelo, aestuans sacer Curio, nihil intermittet laboris, qui ad mentem suam necessariis scientiae sanctorum disciplinis imbuendam pertinet; nec ulli parcet operae, in publicis institutionibus suis, eo modo, quem maxime fidelium suorum captui, ac indigentiis congruum existimaverit, deducendis, propinandis; plene quippe perspiciens, tum tandem se optatum villicationis suae sperare posse fructum, si nemini suorum salutaris defuerit cibus, nemo ad spiritualem refectionem accedens, vacuus recesserit et jejunus; perspiciens quemvis frugi, solertemque agricolam nequaquam jacto contentari semine, sed diurnis, nocturnisque curis eniti, ut sic sementis deligat speciem, sic agrum praeparet, sic cunctas suas operationes instituat, quo messis suis subin respondeat spebus, ac desideriis. Vero sanctae vocationis suae spiritu praeditus Pastor animarum, nec temporis injuriis, nec viarum incommoditatibus, nec ullo sensualitatis suae renisu, semet retineri patietur, quotiescunque opera ejus in administratione Sacramentorum requisita fuerit, aut exoptata; intime convictus, nihil magis conducere ad finem sibi praestitutum, quam promptam, charitate, dignitateque plenam horum, suae fidei traditorum, coelestium charismatum dispensationem. Sed nec privatam ullam negliget occasionem, seu revocandi a vitiis et, quae non raro in bono quoque populo irrepunt, praejudiciis, et malis consvetudinibus; seu instillandis virtutibus, et succolandis amplioribus, in via perfectionis christianae, profectibus, suppeditandi item salutaria consilia, impendendi consolationem, nutantibus monstrandi viam planam et expeditam, cautos reddendi, quos minus tutam semitam ingressos adverterit. Denique praeviis illis refertus sensionibus, facile praecavebit, ne quid in suum istum zelum irrepat imprudentiae, aut amaritudinis: praestitutus enim sacerrimus iste finis

Digitized by Google

in mediorum, mensuraeque delectu eum, haud facile, a recto aberrare tramite patietur; adspirante divina gratia, nullo negotio discernet spiritum, qui a Deo sit, ab eo, qui ex alio quocunque fonte proveniat.

Hortamur itaque Vos, Fratres Filiique dilectissimi, immo exoramus in Christo Jesu, qui est propitiatio nostra, ut ingruente hoc sacro Quadragesimae tempore, quae isthic, per summos quasi apices, Vobis proposuimus, frequenti, eaque solerti meditatione, per singulas partes expendatis, evolvatisque apud animum Vestrum, severi instar judicis discutientes Vosmetipsos, singulasque muneris Vestri pastoralis partes; ut accedente divinae gratiae lumine, cognoscere valeatis, quid minus fortasse debite actum, in quo defecerit virtus vestra? an non arriditate spiritus, aut remissiore studio, an non festinatione, minusque congrua sacris operandi consvetudine, non laxatione quadam, licentioreque sentiendi ratione, a perfectionis tramite desciveritis? an puritas intentionis omnes animaverit operationes Vestras? an cunctae actiones Vestrae ad eum, quem vocatio Vestra praestitutum habet, sacrosanctum finem directae fuerint? quid in his, quove modo emendandum, sarciendum, aut resecandum Vobis videatur? verbo, ut hos salutis dies principaliter resuscitandae, quam per manuum impositionem recepistis, gratiae impendendos arbitremini. Qua quidem in operatione plurimum illud, quod jam altius commendavimus, piarum precum, bonorumque operum Vos adjuvabit exercitium: quod enim hac adhortatione Nostra debellare nitimur, demonii genus, tepor videlicet, genius saeculi, et relaxatio fervoris sacerdotalis, ad eam pertinet classem immundorum spirituum, quae ejici, teste Salvatore nostro, non potest, nisi in jejunio, et oratione, et hac quidem fervida, assidua, et quae dirigatur sicut incensum in conspectu Altissimi, neque fiat in justificationibus nostris, sed in multis ejus miserationibus.

Digitized by Google

Sic fiet, ut non tantum non deficiat regnum, pretioso Salvatoris nostri sangvine fundatum, in populis creditis fidei nostrae, sed laetiora etiam capiat incrementa; fiet, ut porro splendeat catholicae fidei puritas in patria nostra, et si contingeret etiam irrepere inimicum hominem, non reperiat dormientes, sed vigilantes, et paratos ad reddendam fidei suae rationem; fiet porro, ut Vosipsi ea perfruamini conscientiae laetitia, qua nullus potest esse pretiosior thesaurus; perfruamini gaudio spiritus, et ea pace, quae teste Apostolo, exsuperat omnem sensum; fiet denique, ut, in quo rei summa est, obtineatis aliquando bravium, quod cuncti inquirimus, participes effecti gloriae summi Pastoris, principis nostri, et cohaeredes beatae illius aeternitatis, quam acquisivit nobis, nostraeque curae creditis fidelibus, sangvine suo.

Concludimus verbis Apostoli: Exhortatio nostra non est de errore, neque de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Ideo habentes hanc administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus Vobis. Amen. Datum Zagrabiae in Residentia Nostra Episcopali, Dominica Septuagesimae in diem Octavam Februarii incidente, anno reparatae salutis millesimo, octingentesimo quadragesimo sexto. Episcopatus Nostri nono.

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUADRAGESIMALES, DE ANNO 1847, QUIBUS SANCTISSIMI PATRIS, PII PAPAE IX. PASTORALIS EPISTOLA, AD CUNCTOS ECCLESIAE PRAESULES, PRIMO PONTIFICATUS SUI ANNO DIMISSA, COMMUNICATUR.

GEORGIUS etc.

Venerabiles Fratres, Dilectissimi Filii!

Magnis rursus passibus adpropinquat sacrum illud tempus, quod Ecclesia Catholica jejunium majus seu quadragesimale solet compellare; quodve, ut apprime scitis, peculiarius est fidelis populi, ac cumprimis sacerdotum et pastorum aedificationi spirituali destinatum; quo videlicet cuncti per ferventius orationis studium, per frequentiores sacras meditationes, per adcuratiora virtutum omnis generis exercitia, et ea quae ex mundano pulvere sibi adhaesissent, detergerent, et corda sua divini amoris igne amplius succenderent, sicque habiliores semet, ac ferventiores praestarent ad sacrosanctae vocationis suae partes, cum optato fructu obeundas.

Solebamus appropinquantis sacri hujus temporis opportunitate, singulis annis, et modum Vobis, relate ad mitigandum abstinentiae rigorem indicare, et pro tenero cordis Nostri desiderio, religionis ac morum probitatis rationes pro viribus promovendi, adhortationem aliquam impertiri, ut vel sponte currentibus Vobis aliqua suppeditaremus virtutum sacerdotalium incitamenta, Nosque expleti, et hac in parte, pastoralis Nostri muneris laeto perfrueremur conscientiae testimonio.

Quoad alterum illud, modum quippe impertiendae in lege abstinentiae dispensationis; hac quoque vice, iis, quae supe-

Digitized by Google

rioribus annis per Nos disposita sunt et declarata, insistimus. Non possumus tamen non hortari Vos, Fratres, Filiique dilectissimi, ut fideles, curae vestrae spirituali creditos, ad summam, quae jejunii, abstinentiaeque legi inest, salubritatem et sanctimoniam attentos reddatis; eos de vero ejusdem sensu, scopo, ac ingenti ad conservandam augendamque morum probitatem momento, iteratis dictionibus, quamque adcuratissime erudiatis; nec ulli ad salvandas, quas adhuc sustinet temporum iniquitas, sacrosanctae ejus disciplinae reliquias, operae parcendum existimetis, denique hac dispensationis indulgentia non secus utamini, quam dum et quando conscientiarum teneritudinis ratio, vitandique majoris mali necessitas idmodi relaxationem poposcerit.

Quod ad alterum adtinet, impendendae quippe exhortationis officium; mire Nobis, hac vice, succurrit Sanctissimi Domini Nostri, manifesto sane divinae providentiae beneficio Catholico orbi donati, Pii Papae IX. epistola encyclica, occasione auspicati summi pontificatus sui, ad cunctos Patriarchas, Primates, Archi-Episcopos et Episcopos, Romae ad S. Mariam majorem die IX. Novembris anni proxime praeterlapsi edita; in qua tanta inest sapientia, tanta vis veritatis, tam fervens pietas, tantum robur virtutis apostolicae, tam tenera in omnes sollicitudo, tam copiosus denique paternae benevolentiae thesaurus; ut quid ex his majori dignum videatur admiratione? difficile sit determinare. Hanc Nos divinam pene epistolam Vobis, praesentium contextu, donandam decrevimus, ejus, quam Ipsi impendere Vobis intendebamus, instructionis, adhortationisque vices plus quam abunduanter obituram; quaeve non uberrimam tantum sacrarum istarum meditationum, exercitationumque quadragesimalium materiam, sed et pro toto vitae Vestrae tenore, contentionis omnis sacerdotalis, omnisque pastoralis studii et occupationis, efficacissimum possit suppeditare incitamentum. Nec quidquam officit, quod encyclica haec epistola ad Praesules tantum Ca-

Digitized by Google

tholici orbis directa sit, non etiam ad secundi gradus sacerdotes, et curatores animarum. Quamvis enim plenitudo Sacerdotii resideat in Praesulibus: ejus tamen et dignitatis et officii participes sunt alii quoque, ac cumprimis majoribus ordinibus insigniti viri, praesertim ad curam animarum deputati. Et licet cura sustentandae sacrosanctae religionis, promovendaeque hominum salutis imprimis ad Episcopos pertineat: tamen in partem hujus sollicitudinis et caeteri vocati sunt sacerdotes; imo tam necessaria horum dignoscitur esse cooperatio, ut si haec remissior sit, aut a recto tramite abludens, omnis pene illorum contentio in irritum cadat est necesse. Hanc itaque Visibilis Ecclesiae Capitis, summique Antistitis Nostri doctrinam, subblimia haec, sapientiae sane plena, ac paterna monita ad Vos pariter referri existimate Fratres, Filiique dilectissimi, eaque frequenti lectione, jugi meditatione, et pio fervore in sanguinem quodammodo Vestrum, vitaeque Vestrae spiritualis alimoniam convertere intendite; ut sic, pro modulo quisque suo, fideliter comportantes aptos aedificationi lapides, crescant et roborentur muri Jerusalem, et intentus, quo nullus esse potest sublimior, nullus pro humano genere salubrior adserendae, propagandaeque in animis hominum religionis, ac virtutis Christianae, finis obtineatur.

Est autem tenor encyclicae epistolae ad verbum, ut sequitur.

PIUS PAPA IX.

Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem.

Qui pluribus jam abhinc annis una Vobiscum, Venerabiles Fratres, episcopale munus plenum laboris, plenum sollicitudinis pro viribus obire, ac Dominici gregis partem cu-

Digitized by Google

rae Nostrae commissam pascere nitebamur in montibus Israël, in rivis, et pascuis uberrimis, ecce ob mortem clarissimi Praedecessoris Nostri Gregorii XVI., cujus certe memoriam, atque illustria, et gloriosa facta aureis notis inscripta in Ecclesiae fastis semper admirabitur posteritas, praeter omnem opinionem, cogitationemque Nostram, arcano divinae Providentiae consilio, ad Summum Pontificatum non sine maxima animi Nostri perturbatione ac trepidatione evecti fuimus. Etenim si semper grave admodum et periculosum Apostolici ministerii onus merito est habitum, atque habendum, hisce quidem difficillimis christianae reipublicae temporibus vel maxime formidandum. Itaque infirmitatis Nostrae probe conscii, et gravissima supremi Apostolatus officia in tanta praesertim rerum vicissitudine considerantes, tristitiae et lacrimis Nos plane tradidissemus, nisi omnem spem poneremus in Deo salutari Nostro, qui numquam derelinquit sperantes in Eo, quique, ut potentiae suae virtutem ostendat, ad suam regendam Ecclesiam infirmiora identidem adhibet, quo magis magisque omnes cognoscant Deum ipsum esse, qui Ecclesiam admirabili sua providentia gubernat, atque tuetur. Illa etiam consolatio Nos vehementer sustentat, quod in animarum salute procuranda Vos socios et adjutores habeamus, Venerabiles Fratres, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati, omni cura et studio ministerium vestrum implere, ac bonum certamem certare contenditis. Hinc ubi primum in sublimi hac Principis Apostolorum Cathedra, licet immerentes, collocati in persona Beati Petri gravissimum munus ab ipso aeterno Pastorum Principe divinitus tributum accepimus pascendi, ac regendi non solum agnos, universum scilicet Christianum populum, verum etiam oves, hoc est Antistites, nihil certe Nobis potius, nihil optabilius fuit, quam ut intimo caritatis affectu Vos omnes alloqueremur. Quamobrem vix dum ex more institutoque Decessorum Nostrorum in Nostra Lateranensi Basilica Summi Pontificatus possessionem suscepimus,

Digitized by Google

nulla interposita mora has ad Vos Litteras damus, ut eximiam vestram excitemus pietatem, quo majore usque alacritate, vigilantia, contentione custodientes vigilias noctis super gregem curae vestrae commissum, atque episcopali robore et constantia adversus teterrimum humani generis hostem dimicantes, veluti boni milites Christi Jesu, strenue opponatis murum pro Domo Israël.

Neminem vestrum latet, Venerabiles Fratres, hac nostra deploranda aetate acerrimum ac formidolosissimum contra catholicam rem universam bellum ab iis hominibus conflari, qui nefaria inter se societate conjuncti sanam non sustinentes doctrinam, atque a veritate auditum avertentes, omnigena opinionum portenta e tenebris eruere, eaque totis viribus exaggerare, atque in vulgus prodere, et disseminare contendunt. Horrescimus quidem animo, et acerbissimo dolore conficimur, cum omnia errorum monstra, et varias multiplicesque nocendi artes, insidias machinationes mente recogitamus, quibus hi veritatis et lucis osores, et peritissimi fraudis artifices omne pietatis, justitiae, honestatis studium in omnium animis restinguere, mores corrumpere, jura quaeque divina et humana perturbare, catholicam religionem, civilemque societatem convellere, labefactare, immo, si fieri umquam posset, funditus evertere commoliuntur. Noscitis enim, Venerabiles Fratres hos infensissimos christiani nominis hostes, caeco quodam insanientis impietatis impetu misere raptos, eo opinandi temeritate progredi, ut inaudita prorsus audacia *aperientes os suum in blasphemias ad Deum* [1]) palam publiceque edocere non erubescant, commentitia esse, et hominum inventa sacrosancta nostrae religionis mysteria, catholicae Ecclesiae doctrinam humanae societatis bono et commodis adversari, ac vel ipsum Christum et Deum ejurare non extimescant. Et quo facilius populis illudant, atque incautos

[1]) Apocalyps. XIII. 6.

Digitized by Google

praesertim et imperitos decipiant, et in errores secum abripiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur, sibique philosophorum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia, quae tota in naturae veritate investiganda versatur, ea respuere debeat, quae supremus et clementissimus ipse totius naturae auctor Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem assequantur. Hinc praepostero sane et fallacissimo argumentandi genere numquam desinunt humanae rationis vim et excellentiam appellare, extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant, eam humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi, vel excogitari potest. Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullumque dissidium inter ipsas inveniri umquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte Deo Optimo Maximo oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat. Neque minori certe fallacia, Venerabiles Fratres isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane, ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes percommode quidem cadit, quod Tertullianus sui temporis philosophis merito exprobrabat, *qui Stoicum, et Platonicum, et Dialecticum Christianismum protulerunt* [1]). Et sane cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clemen-

[1]) Tertull. de Praescript. cap. VIII.

Digitized by Google

tissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex ejusdem Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere, neque ab humana ratione deduci, aut perfici umquam posse. Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse loquutum, ac Eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat [1]). Quis enim ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere, firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?

Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime convinci omnino debet, divinam esse Christi religionem, et *omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex caelorum Domino accepisse* [2]), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius extare, et quod firmioribus innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens ac caelestium divitiarum ditata thesauris, tot Prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot Martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis salutares proferens Christi leges, ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes utcumque immani-

[1]) Ad Rom. XIII. 1. [2]) S. Joann. Chrysost. Homil. I. in Isai.

Digitized by Google

tate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuncians omnibus pacem, annuncians bona. Quae certe omnia tanto divinae sapientiae, ac potentiae fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce, aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum ejusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta, atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum, et agendum proponit.

Atque hinc plane apparet in quanto errore illi etiam versentur, qui ratione abutentes, ac Dei eloquia tamquam humanum opus existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audent, cum Deus ipse vivam constituerit auctoritatem, quae verum legitimumque caelestis suae revelationis sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei, et morum *infallibili* judicio dirimeret, ne fideles circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris. Quae quidem viva, et *infallibilis* auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesiae Caput, Principem et Pastorem, cujus fidem numquam defecturam promisit, aedificata suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in ejus Cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris ac potestatis haeredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus ibi Ecclesia [1]), ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur [2]), et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet [3]), ac

[1]) S. Ambros. in Psal. 40. [2]) Concil. Chalced. Act. 2. [3]) Synod. Ephes. Act. 3.

Digitized by Google

praestat quaerentibus fidei veritatem [1]), idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet haec Romana Beatissimi Petri Cathedra, quae omnium Ecclesiarum mater et magistra [2]) fidem a Christo Domino traditam, integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam, et incorruptae veritatis doctrinam. Haec siquidem principalis Ecclesia, unde unitas Sacerdotalis exorta [3]), haec pietatis metropolis, in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas [4]), in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus [5]), ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles [6]), cum qua quicumque non colligit, spargit [7]). Nos igitur, qui inscrutabili Dei judicio in hac veritatis Cathedra collocati sumus, egregiam vestram pietatem vehementer in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut omni sollicitudine et studio fideles curae vestrae concreditos assidue monere, exhortari connitamini, ut hisce principiis firmiter adhaerentes numquam se ab iis decipi, et in errorem induci patiantur, qui abominabiles facti in studiis suis humani progressus obtentu fidem destruere, eamque rationi impie subjicere ac Dei eloquia invertere contendunt, summamque Deo ipsi injuriam inferre non reformidant, qui caelesti sua religione hominum bono atque saluti clementissime consulere est dignatus.

Jam vero probe noscitis, Venerabiles Fratres, alia errorum monstra et fraudes, quibus hujus saeculi filii catholicam religionem, et divinam Ecclesiae auctoritatem, ejus-

---

[1]) S. Petr. Chrysol. Epist, ad Eutich. [2]) Concil. Trid. Sess. VII. de Baptis. [3]) S. Cyprian. Epist. 55. ad Cornel. Pontif. [4]) Litter. Synod. Joan. Constantinop. ad Hormisd. Pontif. et Sozom. Histor. Lib. 3. Cap. 8. [5]) S. August. Epist. 162. [6]) S. Irenaeus Lib. 3. contra haereses cap. 3. [7]) S. Hieronym. Epist. ad Damas. Pontif.

Digitized by Google

que leges acerrime oppugnare, et tum sacrae, tum civilis potestatis jura conculcare conantur. Huc spectant nefariae molitiones contra hanc Romanam Beatissimi Petri Cathedram, in qua Christus posuit inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum. Huc clandestinae illae sectae e tenebris ad rei tum sacrae, tum publicae exitium et vastitatem emersae, atque a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris iterato anathemate damnatae suis Apostolicis Litteris [1]), quas Nos Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine confirmamus, et diligentissime servari mandamus. Hoc volunt vaferrimae Biblicae Societates, quae veterem haereticorum artem renovantes, divinarum Scripturarum libros contra sanctissimas Ecclesiae regulas vulgaribus quibusque linguis translatos, ac perversis saepe explicationibus interpretatos, maximo exemplarium numero, ingentique expensa omnibus cujusque generis hominibus etiam rudioribus gratuito impertiri, obtrudere non cessant, ut divina traditione, Patrum doctrina, et catholicae Ecclesiae auctoritate rejecta, omnes eloquia Domini privato suo judicio interpretentur, eorumque sensum pervertant, atque ita in maximos elabantur errores. Quas Societates Suorum Decessorum exempla aemulans recol. mem. Gregorius XVI. in cujus locum meritis licet impariibus suffecti sumus, suis Apostolicis Litteris reprobavit [2]), et Nos pariter damnatas esse volumus. Huc spectat horrendum, ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans de cujuslibet religionis indifferentia systema, quo isti veteratores, omni virtutis et vitii, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cujusvis religionis cultu aeternam salutem assequi posse comminiscun-

[1]) Clemens XII. Const. *In eminenti*, Bened. XIV. Const. *Providas*, Pius VII. Const. *Ecclesiam a Jesu Christo*, Leo XII. Const. *Quo graviora*. [2]) Gregor. XVI. In Litteris Encyclicis ad omnes Episcopos, quarum initium: *Inter praecipuas machinationes*.

Digitized by Google

tur, perinde ac si ulla umquam esse posset participatio justitiae cum iniquitate, aut societas luci ad tenebras, et conventio Christi ad Belial. Huc spectat foedissima contra sacrum clericorum caelibatum conspiratio, quae a nonnullis etiam, proh dolor? ecclesiasticis viris fovetur, qui propriae dignitatis misere obliti, se voluptatum blanditiis et illecebris vinci et deliniri patiuntur; huc perversa in philosophicis praesertim disciplinis docendi ratio, quae improvidam juventutem miserandum in modum decipit, corrumpit, eique fel draconis in calice Babylonis propinat; huc infanda, ac vel ipsi naturali juri maxime adversa de *Communismi*, uti vocant, doctrina, qua semel admissa, omnium jura, res, proprietates, ac vel ipsa humana societas funditus everterentur; huc tenebricosissimae eorum insidiae, qui in vestitu ovium, cum intus sint lupi rapaces, mentita ac fraudulenta purioris pietatis, et severioris virtutis, ac disciplinae specie humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, hominesque ab omni religionis cultu absterrent, et dominicas oves mactant atque discerpunt. Huc denique, ut cetera, quae Vobis apprime nota ac perspecta sunt, omittamus, teterrima tot undique volantium, et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, ac fallaciae et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in christianae plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes, animosque depravant, et maxima religioni inferunt detrimenta. Ex hac undique serpentium errorum colluvie, atque effrenata cogitandi, loquendi, scribendique licentia mores in deterius prolapsi, sanctissima Christi spreta religio, divini cultus improbata majestas, hujus Apostolicae Sedis divexata potestas, Ecclesiae oppugnata atque in turpem servitutem redacta auctoritas, Episcoporum jura conculcata, matrimonii sanctitas violata, cujusque potestatis regimen labefactatum, ac tot alia tum christianae, tum civilis

Digitized by Google

reipublicae damna, quae communibus lacrimis una Vobiscum flere cogimur, Venerabiles Fratres.

In tanta igitur religionis, rerum ac temporum vicissitudine de universi Dominici gregis salute Nobis divinitus commissa vehementer solliciti, pro Apostolici Nostri ministerii officio nihil certe inausum, nihilque intentatum relinquemus, quo cunctae christianae familiae bono totis viribus consulamus. Verum praeclaram quoque vestram pietatem, virtutem, prudentiam summopere in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut caelesti ope freti una Nobiscum Dei, Ejusque Sanctae Ecclesiae causam pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua insigniti estis, impavide defendatis. Vobis acriter pugnandum esse intelligitis, cum minime ignoretis, quibus quantisque intemerata Christi Jesu Sponsa vulneribus afficiatur, quantoque acerrimorum hostium impetu divexetur. Atque in primis optime noscitis, vestri muneris esse catholicam fidem episcopali robore tueri, defendere, ac summa cura vigilare, ut grex Vobis commissus in ea stabilis et immotus persistat, *quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit* [1]). In hanc igitur fidem tuendam, atque servandam pro pastorali vestra sollicitudine diligenter incumbite, neque umquam desinite omnes in ea instruere, confirmare nutantes, contradicentes arguere, infirmos in fide corroborare, nihil umquam omnino dissimulantes ac ferentes, quod ejusdem fidei puritatem vel minimum violare posse videatur. Neque minori animi firmitate in omnibus fovete unionem cum Catholica Ecclesia, extra quam nulla est salus, et obedientiam erga hanc Petri Cathedram, cui tanquam firmissimo fundamento tota sanctissimae nostrae religionis moles innititur. Pari vero constantia sanctissimas Ecclesiae leges custodiendas curate, quibus profecto virtus, religio, pietas summo-

[1]) Ex Symbolo: *Quicumque*,

Digitized by Google

pere vigent et florent. Cum autem *magna sit pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare* [1]), illud obsecrantes monemus, ut omni ope et opera multiformes inimicorum hominum insidias, fallacias, errores, fraudes, machinationes fideli populo detegere, eumque a pestiferis libris diligenter avertere, atque assidue exhortari velitis, ut impiorum sectas, et societates fugiens tamquam a facie colubri, ea omnia studiosissime devitet, quae fidei, religionis, morumque integritati adversantur. Qua de re numquam omnino sit, ut cessetis praedicare Evangelium, quo christiana plebs magis in dies sanctissimis christianae legis praeceptionibus erudita crescat in scientia Dei, declinet a malo, et faciat bonum, atque ambulet in viis Domini. Et quoniam nostis Vos pro Christo legatione fungi, qui se mitem et humilem corde est professus, quique non venit vocare justos, sed peccatores, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus; quos in mandatis Domini delinquentes, atque a veritatis et justitiae semita aberrantes inveneritis, haud omittite eos in spiritu lenitatis et mansuetudinis paternis monitis, et consiliis corripere atque arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia et doctrina, cum *saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas* [2]). Illud etiam totis viribus praestare contendite, Venerabiles Fratres, ut fideles caritatem sectentur, pacem inquirant, et quae caritatis et pacis sunt sedulo exequantur, quo cunctis dissensionibus, inimicitiis, aemulationibus, simultatibus penitus extinctis, omnes se mutua caritate diligant, atque in eodem sensu, in eadem sententia perfecti sint, et idem unanimes sentiant, idem dicant, idem sapiant in Christo Jesu Do-

[1]) S. Leo Serm. VIII. cap. 4. [2]) Concil, Triden Sess. XIII. Cap. 1. de Reformat.

Digitized by Google

mino Nostro. Debitam erga Principes, et potestates obedientiam ac subjectionem christiano populo inculcare satagite edocentes juxta Apostoli monitum [1]) non esse potestatem nisi a Deo, eosque Dei ordinationi resistere, adeoque sibi damnationem acquirere, qui potestati resistunt, atque idcirco praeceptum potestati ipsi obediendi a nemine umquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur.

Verum cum *nihil sit, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt* [2]), et cujusmodi sunt Sacerdotes, ejusmodi plerumque esse soleat et populus, pro vestra singulari sapientia perspicitis, Venerabiles Fratres, summa cura et studio Vobis esse elaborandum, ut in Clero morum gravitas, vitae integritas, sanctitas, atque doctrina eluceat, et ecclesiastica disciplina ex Sacrorum Canonum praescripto diligentissime servetur, et ubi collapsa fuerit, in pristinum splendorem restituatur. Quapropter, veluti praeclare scitis, Vobis summopore cavendum, ne cuipiam, juxta Apostoli praeceptum, cito manus imponatis, sed eos tantum sacris initietis ordinibus, ac sanctis tractandis admoveatis mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu, et sapientiae laude spectati, vestris dioecesibus usui et ornamento esse possint, atque ab iis omnibus declinantes, quae Clericis vetita, et attendentes lectioni, exhortationi, doctrinae, *exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* [3]), cunctisque afferant venerationem, et populum ad christianae religionis institutionem fingant, excitent, atque inflamment. *Melius enim profecto est,* ut sapientissime monet immortalis memoriae Benedictus XIV. Decessor Noster, *pauciores habere*

[1]) Ad Roman. XIII. 1. 2. [2]) Concil Trid. Sess. XXII. Cap. 1. de Reform. [3]) Ad Timoth. 4. 12.

Digitized by Google

ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures qui in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri [1]). Neque vero ignoratis, majori diligentia Vobis in illorum praecipue mores, et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi tamquam fideles multiformis gratiae Dei dispensatores plebem sibi concreditam sacramentorum administratione, divini verbi praedicatione ac bonorum operum exemplo continenter pascere, juvare, eamque ad omnia religionis instituta, ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum Parochis officii sui ignaris, vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exsolvi, atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi. Ne autem Dei sermo, *qui vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* [2]) ad animarum salutem est institutus, ministrorum vitio infructuosus evadat ejusdem divini verbi praeconibus inculcare, praecipere numquam desinite, Venerabiles Fratres, ut gravissimum sui muneris officium animo reputantes, evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis religiosissime exerceant, ut recte tractantes verbum veritatis, et non semetipsos, sed Christum Crucifixum praedicantes, sanctissimae nostrae religionis dogmata, praecepta juxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam gravi ac splendido orationis genere populis clare aperteque annuncient, peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles Dei verbo salubriter imbuti atque refecti vitia omnia declinent, virtutes

[1]) Bened. XIV. in Epist. Encycl. ad omnes Episcopos, cujus initium „*Ubi primum.*“ [2]) Ad Hebr. 4. V. 12.

Digitized by Google

sectentur, atque ita aeternas poenas evadere, et caelestem gloriam consequi valeant. Universos ecclesiasticos viros pro pastorali vestra sollicitudine et prudentia assidue monete, excitate, ut serio cogitantes ministerium, quod acceperunt in Domino, omnes proprii muneris partes diligentissime impleant, domus Dei decorem summopere diligant, atque intimo pietatis sensu sine intermissione instent obsecrationibus et precibus, et Canonicas horas ex Ecclesiae praecepto persolvant, quo et divina sibi auxilia ad gravissima officii sui munera obeunda impetrare, et Deum christiano populo placatum ac propitium reddere possint.

Cum autem, Venerabiles Fratres, vestram sapientiam minime fugiat, idoneos Ecclesiae ministros nonnisi ex optime institutis clericis fieri posse, magnamque vim in recta horum institutione ad reliquum vitae cursum inesse, pergite omnes episcopalis vestri zeli nervos in id potissimum intendere, ut adolescentes clerici vel a teneris annis tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad litteras severioresque disciplinas, praesertim sacras, rite informentur. Quare Vobis nihil antiquius, nihil potius esse debet, quam omni opera, sollertia, industria clericorum Seminaria ex Tridentinorum Patrum praescripto [1]) instituere, si nondum existunt, atque instituta, si opus fuerit, amplificare, eaque optimis moderatoribus, et magistris instruere, ac intentissimo studio continenter advigilare, ut inibi juniores clerici in timore Domini, et ecclesiastica disciplina sancte, religioseque educentur, et sacris potissimum scientiis juxta catholicam doctrinam ab omni prorsus cujusque erroris periculo alienis, et Ecclesiae traditionibus, et sanctorum Patrum scriptis, sacrisque caeremoniis, ritibus sedulo, ac penitus excolantur, quo habere possitis navos atque industrios operarios, qui ecclesiastico spiritu praediti, ac studiis recte instituti valeant in tempore

[1]) Concil. Trid. Sess. XXIII. Cap. 18. de Reform.

Digitized by Google

dominicum agrum diligenter excolere, ac strenue proeliari proelia Domini. Porro cum Vobis compertum sit ad ecclesiastici ordinis dignitatem, et sanctimoniam retinendam et conservandum pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere, pro episcopali vestro zelo tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere, hortari ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo, exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detergere, et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque expoliantes veterem hominem cum actibus suis, novum induant, qui creatus est in justitia, et sanctitate. Neque Vos pigeat si in Cleri institutione et disciplina paulo diutius immorati sumus. Etenim minime ignoratis multos existere, qui errorum varietatem, inconstantiam, mutabilitatemque pertaesi, ac sanctissimam nostram religionem profitendi necessitatem sentientes, ad ipsius religionis doctrinam, praecepta, instituta eo facilius, Deo bene juvante, amplectenda colenda adducentur, quo majori Clerum pietatis, integritatis, sapientiae laude, ac virtutum omnium exemplo, et splendore ceteris antecellere conspexerint.

Ceterum, Fratres charissimi, non dubitamus, quin Vos omnes ardenti erga Deum et homines caritate incensi, summo in Ecclesiam amore inflammati, angelicis pene virtutibus instructi, episcopali fortitudine, prudentia muniti, uno eodemque sanctae voluntatis desiderio animati, Apostolorum vestigia sectantes, et Christum Jesum Pastorum omnium exemplar, pro quo legatione fungimini, imitantes, quemadmodum decet Episcopos, concordissimis studiis facti forma gregis ex animo, sanctitatis vestrae splendore clerum populumque fidelem illuminantes, atque induti viscera misericordiae, et condolentes iis, qui ignorant et errant, devias ac pereuntes oves evangelici Pastoris exemplo amanter quaerere,

Digitized by Google

persequi, ac paterno affectu vestris humeris imponere, ad ovile reducere, ac nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus parcere umquam velitis, quo omnia pastoralis muneris officia religiosissime obire, ac omnes dilectas Nobis oves pretiosissimo Christi sanguine redemptas, et curae vestrae commissas a rapacium luporum rabie, impetu, insidiis defendere, easque a venenatis pascuis arcere, ad salutaria propellere, et qua opere, qua verbo, qua exemplo ad aeternae salutis portum deducere valeatis. In majori igitur Dei et Ecclesiae gloria procuranda viriliter agite, Venerabiles Fratres, et omni alacritate, sollicitudine, vigilantia in hoc simul elaborate, ut omnibus erroribus penitus depulsis, vitiisque radicitus evulsis, fides, religio, pietas, virtus majora in dies ubique incrementa suscipiant, cunctique fideles abjicientes opera tenebrarum, sicut filii lucis ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque inter maximas angustias, difficultates, pericula, quae á gravissimo episcopali vestro ministerio hisce praesertim temporibus abesse non possunt, nolite umquam terreri, sed confortamini in Domino, et in potentia virtutis Ejus, *qui nos in congressione nominis sui constitutos desuper spectans, volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat* [1]). Cum autem Nobis nihil gratius, nihil jucundius, nihil optabilius quam Vos omnes, quos diligimus in visceribus Christi Jesu, omni affectu, consilio, opera juvare, atque una Vobiscum in Dei gloriam et catholicam fidem tuendam, propagandam toto pectore incumbere, et animas salvas facere, pro quibus vitam ipsam, si opus fuerit, profundere parati sumus, venite, Fratres, obtestamur, et obsecramus, venite magno animo, magnaque fiducia ad hanc Beatissimi Apostolorum Principis, Sedem, Catholicae unitatis centrum, atque Episcopatus apicem, unde ipse Epis-

[1]) S. Cyprian. Epist. 77. ad Nemesianum et ceteros martyres.

Digitized by Google

copatus, ac tota ejusdem nominis auctoritas emersit, venite ad Nos quotiescumque Nostrae, et ejusdem Sedis auctoritatis ope, auxilio, praesidio Vos indigere noveritis.

In eam porro spem erigimur fore, ut Carissimi in Christo Filii Nostri Viri Principes pro eorum pietate, et religione in memoriam revocantes *regiam potestatem sibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam* [1]), et Nos *cum Ecclesiae causam, tum eorum regni agere, et salutis, ut provinciarum suarum quieto jure potiantur* [2]), communibus nostris votis, consiliis, studiis sua ope et auctoritate faveant, atque ipsius Ecclesiae libertatem incolumitatemque defendant, ut *et Christi dextera eorum defendatur imperium* [3]).

Quae omnia ut prospere, feliciterque ex sententia succedant, adeamus cum fiducia, Venerabiles Fratres, ad thronum gratiae, atque unanimes in humilitate cordis nostri Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis enixis precibus sine intermissione obsecremus, ut per merita Unigeniti Filii Sui infirmitatem nostram omnium caelestium charismatum copia cumulare dignetur, atque omnipotenti sua virtute expugnet impugnantes nos, et ubique augeat fidem, pietatem, devotionem, pacem, quo Ecclesia sua sancta, omnibus adversitatibus et erroribus penitus sublatis, optatissima tranquillitate fruatur, ac fiat unum ovile, et unus pastor. Ut autem clementissimus Dominus facilius inclinet aurem suam in preces nostras, et nostris annuat votis, deprecatricem apud Ipsum semper adhibeamus sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quae nostrum omnium dulcissima mater, mediatrix, advocata, et spes fidissima ac maxima fiducia est, cujus patrocinio nihil apud Deum validius, nihil praesentius. Invocemus quoque Apo-

[1]) S. Leo Epist. 156 alias 125 ad Leonem Augustum. [2]) S. Leo Epist. 43. alias 34. ad Theodosium Augustum. [3]) Idem ibid.

Digitized by Google

stolorum Principem, cui Christus ipse tradidit claves regni caelorum, quemque Ecclesiae suae petram constituit, adversus quam portae inferi praevalere nunquam poterunt, et Coapostolum ejus Paulum, atque omnes Sanctos caelites, qui jam coronati possident palmam, ut desideratam divinae propitiationis abundantiam universo christiano populo impetrent.

Denique caelestium omnium munerum auspicem, et potissimae Nostrae in Vos caritatis testem, accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et omnibus Clericis, Laicisque Fidelibus curae vestrae concreditis amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die IX. Novembris Anno MDCCCXLVI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

His aliquid addere velle nedum superfluum, sed pene temerarium foret. Nil itaque residuum est Nobis, quam ut iterum, atque iterum hortemur Vos, atque adeo deprecemur in Domino Fratres, Filiique dilectissimi, ut ne minus attentis auribus, vel tepido corde excipiendam arbitremini hanc tam piam, tam sanctam, tam plenam amoris vocem summi Ecclesiae Capitis, in quo residet corona gloriae nostrae, quod centrum est unitatis Catholicae, sacerdotii honos, petra et firmamentum veritatis, ipsi inhaerens angulari lapidi Christo Jesu, divino Redemptori nostro. Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda Vestra et intelligentias Vestras. Amen. Datum Zagrabiae Dominica Septuagesimae in diem 31. Januarii anni 1847. incidente, qui est Episcopatus Nostri annus decimus.

Digitized by Google

ENCYCLICAE INTUITU JUBILAEI UNIVERSALIS ANNI 1846, 1847 DIMISSAE.

GEORGIUS etc.

Venerabilibus Fratribus, Filiisque in Christo dilectissimis Clero Dioecesis Nostrae Saeculari, et Regulari, Salutem in Domino Sempiternam!

Quem admirabilis divina providentia ad summi Pontificatus apicem haud dudum evexit, Sanctissimus Dominus noster, Pius Papa IX., thesauros gratiae spiritualis, suis manibus creditos, aperire, cunctisque per universum terrarum orbem dispersis fidelibus indulgentias plenarias, per modum Jubilaei, benigne concedere decrevit; tenore apostolicarum literarum, Romae apud Sanctam Mariam Majorem, die 20. Novembris anno 1846. editarum, promulgatas; quas quidem apostolicas literas, denuo typis procusas, Nos Vobis, Fratres, Filiique dilectissimi, hisce communicamus, et quidem eo exemplarium numero, ut singulae Parochiae, singulisque Religiosorum conventibus singula possint obtingere.

Quam sublimia sint motiva, quae Sanctitatem suam ad largitionem apostolicae hujus gratiae permoverunt, quibusve ea conditionibus sit alligata? ex ipsis earum literarum pontificiarum tenoribus, quas ut repetitis vicibus omnique cum

Digitized by Google

attentione perlegatis, Vobis commendamus, intelligetis Fratres, Filiique dilectissimi. Quo tamen earum scopus certius obtineatur, nec ullus in intellectum talium irrepat devius sensus: nonnullas, parte ex Nostra inviationes subjiciendas existimavimus. Et quidem

1. Trium hebdomadarum spatium, intra quod haec Jubilaei devotio peragenda in literis apostolicis statuitur, ad tempus Dominicam inter 3. Quadragesimae, et Dominicam Palmarum currentis anni defigimus. Ecclesias autem, in quibus ea devotio peragenda est, pro Zagrabia quidem: Cathedralem Nostram, Parochiales item ad S. Mariam, et S. Marcum; pro Civitate Varasdinensi: Collegiatam, item S Mariae Paulinorum dictam, et Sanctimonialium; Carolostadii: Parochialem PP. Franciscanorum, et alteram parochialem in Dubovacz designamus; in caeteris autem Civitatibus, prout et cunctis Oppidis, ac pagis, duas pariter, ubi adsunt, prudenti Parochorum concernentium judicio designandas, secus Parochialem, hoc fine deputamus. Itaque

2. Qui indulgentiarum gratiam consequi voluerint, designatas taliter, per singula loca, Ecclesias, aut unam saltem earum, praedicto trium hebdomadarum spatio, bis devote invisere, illicque ad intentionem Sanctae Matris Ecclesiae, pias preces, cum quinque minimum *Pater* et *Ave*, ac uno *Credo*, fundere, Sacramentum Poenitentiae corde vere contrito suscipere, sacramque Communionem devote, ac reverenter peragere, tres in una dictarum hebdomadarum dies, quippe feriam 4. 6. et sabbatum jejunando exigere, denique eleemosynam pauperibus, pro modulo facultatum suarum distribuere tenebuntur. Quoad infirmos, captivos, aut aliter impeditos, Confessariis facultate, in sensu literarum apostolicarum utique suppetente, pia haec opera in alia prudenti judicio suo commutandi.

3. Processiones solemnes, hac vice, non instituentur; sed in vicem harum, in singula designatarum Ecclesiarum,

Digitized by Google

Dominica 3. Quadragesimae, qua nimirum devotio exordium sumet, vel, si id quaqua demum ex causa fieri non posset, Dominica mox subsequenti, nimirum 4. Quadragesimae Sacrum Cantatum cum expositione Sanctissimi, et accomodo sacro sermone asservabitur, idemque fiet Dominica Palmarum, intonato pro solemni gratiarum actione hymno *Te Deum laudamus.*

4. Cum efficacia indulgentiarum animum rite praeparatum praesupponat, fructusque earum, magna parte, in vera consistat vitae emendatione: Confessariis ac verbi Dei praeconibus eo praecipue erit enitendum, ut fideles ad sinceram perducantur poenitentiam, firma concipiant vitae emendandae proposita, debitam invicem satisfactionem impendant, offensas ex animo condonent, omnemque deponant inimicitiae sensum, sed potius, qua ejusdem coelestis Patris ejusdemque sacro sanctae Ecclesiae filii, reciproca, eaque sincera se charitate complectantur, hancque charitatem ad omnes omnino, etiam in errore constitutos, aut a recto tramite deviantes extendant. Itaque Confessarii jugiter meminerint eo se graviori obstringi responsionis oneri, ad hoc suum munus sancte, zelose, et fructuose obeundum: quo solemnior, pluriumque gratiarum foecundior est haec occasio, quove amplior ipsis ex apostolica concessione potestas hac vice conceditur. Denique

5. Primo post perceptas praesentes Dominico, aut solemni secus die, Curatores animarum fideles suos de hac Jubilaei gratia, ejusque conditionibus edoceant, ac cunctos ad participationem ejus zelose, ac ardenti cum charitate invitent; sed et decursu sacri ac acceptabilis hujus temporis, identidem sermonem ad populum instituant, nihilque eorum negligant, quae fideles rectis notionibus de indulgentiarum indole, ac utilitate, de reverentia et obsequio Matri Ecclesiae, ejusque summo in terris Capiti, Romano Pontifici debitis, im-

Digitized by Google

buere, ac cunctos ad faciendos dignos poenitentiae fructus possint excitare.

Caetera Vestrum erit Fratres, Filiique dilectissimi, proprio etiam exemplo Vestro facem praeferre fidelibus, eoque omni meliori modo eniti, ut apostolicae hujus gratiae dispensatio cedat in incrementum fidei, augmentum pietatis Vestrae, Vestrisque manibus creditarum animarum, et temporalem, et aeternam prosperitatem. Quo fine benedictionem piis ab Alto suspiriis implorantes, Nostram quoque, paterno cum affectu, Vobis impertimur. Datum in Arce solita Residentia Nostra Episcopali Zagrabiae die 11. Februarii 1847.

TENOR VERO LITERARUM APOSTOLICARUM HIC EST

PIUS PP. IX.

universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem!

Arcano divinae Providentiae consilio ad Apostolicae Sedis fastigium nil tale merentes evecti, probe novimus in quantas inciderimus rerum, ac temporum difficultates, ut divino subsidio maximopere indigeamus ad arcendas a dominico grege ubique latentes insidias, ad Catholicae Ecclesiae res pro Nostri muneris officio relevandas, componendas. Quapropter assiduis huc usque precibus non destitimus obsecrare Misericordiarum Patrem, ut infirmas Nostras vires sua virtute roborare, et lumine Sapientiae Suae mentem Nostram illustrare velit, quo commissum Nobis Apostolicum Ministerium rei Christianae universae bene, ac feliciter eve-

Digitized by Google

niat, et compositis tandem fluctibus Ecclesiae navis a diuturna tempestatis jactatione conquiescat. Quoniam vero, quod commune bonum est, id communibus etiam votis postulandum, omnium Christi fidelium excitare pietatem decrevimus, ut conjunctis Nobiscum precibus Omnipotentis dexterae auxilium impensius imploremus. Atqui exploratum illud est, gratiores Deo futuras hominum preces, si mundo corde, hoc est animis ab omni scelere integris ad ipsum accedant, idcirco sequuti etiam exemplum Praedecessorum Nostrorum, qui in Pontificatus primordiis idipsum praestiterunt, caelestes Indulgentiarum thesauros dispensationi Nostrae commissos Apostolica liberalitate Christi fidelibus reserare constituimus, ut inde ad veram pietatem vehementius incensi, et per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati ad thronum Dei fidentius accedant, ejusque misericordiam consequantur, et gratiam inveniant in auxilio opportuno.

Hoc Nos consilio Indulgentiam ad instar Jubilaei Orbi Catholico denunciamus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi, ac solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis, ac singulis utriusque sexus Christi fidelibus, in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, qui Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, et Sanctae Mariae Majoris Basilicas, vel earum aliquam a secunda Dominica Adventus nimirum a die sexta Decembris inclusive, usque ad diem vigesimam septimam ejusdem mensis pariter inclusive, quae est dies festa S. Joannis Apostoli bis visitaverint intra tres illas hebdomadas, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint, ac quarta, et sexta feria, et Sabbato unius ex dictis Hebdomadibus jejunaverint, et intra easdem hebdomadas peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reverenter susceperint, et pauperibus aliquam elee-

Digitized by Google

mosynam, prout unicuique devotio suggeret, erogaverint, ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de illorum mandato, et ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad illorum notitiam hae Nostrae pervenerint, designandas, vel earum aliquam spatio trium similiter hebdomadarum per eosdem una cum Ecclesiis stabiliendarum bis visitaverint, aliaque recensita opera devote peregerint, plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam, sicut in anno Jubilaei visitantibus certas Ecclesias intra, et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus, atque indulgemus.

Concedimus etiam, ut navigantes, atque iter agentes, quum primum ad sua se domicilia receperint, operibus suprascriptis peractis, et bis visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori, vel propria Parochiali loci ipsorum domicilii, eamdem Indulgentiam consequi possint, et valeant. Regularibus vero personis utriusque sexus etiam in Claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam saecularibus, vel regularibus in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex actu approbatis a locorum Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi poenitentes efficere possint cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint, pariter concedimus, atque indulgemus.

Insuper omnibus, et singulis Christi fidelibus Saecularibus, et Regularibus cujusvis Ordinis, et Instituti etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presby-

Digitized by Google

terum Confessarium tam Saecularem, quam Regularem ex actu approbatis a locorum Ordinariis (qua facultate uti possint, etiam Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres intra Claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus), qui eos ab excommunicationis, suspensionis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, et censuris a jure, vel ab homine quavis de causa latis, vel inflictis praeter infra exceptas, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, et Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis, et quorum absolutio alias quamtumvis ampla non intelligetur concessa, in foro conscientiae, et hac vice tantum absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque etiam jurata, et Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agatur de praejudicio tertii semper exceptis, quatenus ea vota sint perfecta, et absoluta, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato comittendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera dispensando commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supra dictis omnibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Concedimus insuper facultatem dispensandi super irregularitate ex violatione Censurarum contracta, quatenus ad forum externum non sit deducta, vel de facili deducenda. Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu, vel publica, vel occulta, aut nota, aliaque incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae, neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel: re: Benedicto XIV. Praedecessore Nostro „Sacramentum

Digitized by Google

Poenitentiae" quoad inhabilitatem absolvendi complicem, et quoad obligationem denunciationis, neque easdem praesentes iis, qui a Nobis, et Apostolica Sede, vel aliquo Praelato, seu judice Ecclesiastico nominatim excomunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum trium hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere. Quod si intra praefinitum terminum judicio Confessarii satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Jubilaei, injuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt.

Quapropter in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium districte praecipimus, atque mandamus omnibus et quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium literarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa, ubi primum pro temporum, ac locorum ratione satius in Domino censuerint per suas Ecclesias, ac dioeceses, Provincias, Civitates, oppida, terras, et loca publicent, vel publicari faciant, populisque etiam Verbi Dei praedicatione quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam, seu Ecclesias, visitandas, ac tempus pro praesenti Jubilaeo designent.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expresis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut ne etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, et facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint, nec non regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, et Congregationum, sive Institutorum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel

Digitized by Google

quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, et Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XX. mensis Novembris millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, Pontificatus Nostri anno primo.

A CARD. LAMBRUSCHINI.

Digitized by Google

ADMONITIO PASTORALIS AD CLERUM DIOECESANUM, ANTE COMITIA ANNI 1847 DIMISSA.

GEORGIUS etc.

Venerabiles Fratres, Dilectissimi Filii!

Quantumvis variis, nec omnino levibus, hoc praesertim temporis momento, distinear negotiis: intermittere tamen haud potui, quin ex solito residentiae meae loco ad generalia Regni Hungariae, Partiumque adnexarum comitia, in 7-am ut nostis, mensis ac anni currentis diem Posonium indicta, mox discessurus, non aliqua, quantumvis pauca ad Vos dirigam paternae benevolaeque exhortationis verba; quae cujusmodi sint, quove tendant? Ipsi facile autumabitis Fratres, Filiique dilectissimi.

Imprimis quippe, cum dubitare nemo possit, haec ex proximo instantia comitia summi esse relate ad utriusque rei publicae, sacrae nimirum, ac profanae prosperitatem momenti; ut adeo ex iis, si ex voto cesserint, insignia emolumenta, sin vero devium ingressa fuerint tramitem, magna detrimenta in populos coronae hungaricae subjectos dimanatura praevideantur; provocandos Vos paterna cum fiducia duxi: ut pias pro felici istius congressus exordio, progressuque preces ad eum fundere non intermittatis, a cujus nutu pendent sortes nationum, et cujus non est abbreviata manus, ut salvare nequeat; neque aggravata auris ut non exaudiat. Orate

Digitized by Google

autem animo fiducia pleno, corde puro, sine intermissione „qui enim“ ut ait Sapiens „adorat Deum in oblectatione; suscipietur, et deprecatio illius usque ad nubes penetrabit.“

Porro hortamur Vos, Fratres Filiique dilectissimi, ut me etiam longius agente, sic omnem vitae Vestrae rationem instituatis, quo haec non modo sit odor bonus coram Domino, sed ita omnino comparata, ut nemini inde aliqua detur offensio, neque inveniant, qui ab adverso stant, dicere aliquid mali de Vobis. Scitis quippe, quanta nos undique mala circumdent; scitis quam refrixerit in animis multorum charitas, quanti nos undique obsideant adversarii, qui nihil dissimulant, nihil contegunt pallio charitatis, imo cum aviditate omnem arripiunt ansam cavillandi nos, ipsasque etiam innocuas actiones nostras in suspicionem vocant, atque adeo in argumenta accusationum suarum convertunt. Quid quaeso futurum putatis, si vita nostra reapse justae adversum nos exceptionis suppeditaverit ansam? quid si minus castae conversationis praeberet indicia? si dici cum veritate posset, nos non tam aeternis quam temporalibus thesauris coacervandis esse intentos, neque salutem animarum curae nostrae pastorali creditarum per nos inquiri, sed rerum caducarum nos inescari illiciis; non ex animo et tenero sublimis vocationis nostrae sensu nos fungi ministerio sacro, sed servire altari, ut ex altari vivamus? Quantum non nobis solum in individuo, sed toto venerabili statui nostro, imo sanctissimae quam sustinemus causae inferremus nocumenti, si durities cordis nobis, mansvetudinisque ac mitioris humani sensus defectus, cum veritate posset imputari? Si in vicem charitatis, quae patiens est, benigna est, non aemulatur, non inflatur, omnia suffert, omnia sustinet, odiis, dissensionibus, indignis aemulationibus nos agitatos monstraremus? Si dissensiones et contentiones inter eos ipsos, qui ministros se pacis profitentur, observaret populus fidelis, cui exemplum pastoris norma esse debet agendorum? Quali erga sacrum ordinem nostrum duci deberent aestimio

Digitized by Google

et veneratione homines saeculares, si viderent sacerdotes, abjecta reverenda sui ordinis veste, aut tali ad gustum et vanitatem mundi conformata; neglecta, quae ministrum altaris tam eximie ornat, regalis sacerdotii corona, capillis ad ventosum mundi spiritum compositis, loco Breviarii, et sacratiorum literarum inanes fabellas tractantes, loco meditationum quotidianarum, quae sunt unctio spiritus sacerdotalis, levibus conversationibus, concursationibus per domos aut vicinas possessiones, venationibus, et quae sunt caetera saecularium hominum oblectamenta, non exiguis persaepe periculis juncta, deditos conspicerent? An non vilipensio, contemptus, imo et odium, quae caeteroquin magis in dies magisque invalescunt, ampliora adhuc caperent incrementa, in universum adeo tam honorabilem Ordinem nostrum, imo et ipsam sanctissimam, cujus ministri sumus, religionis causam redundatura?

Contendite itaque Fratres, Filiique dilectissimi sic instituere omnes vitae Vestrae rationes, ut nemini Vestrum ulla hujusmodi nota vel cum aliqua veri specie inuri possit. Recordamini illius S. Augustini; Qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum a quo attenditur occidit. Item: Omnis qui male vivit in conspectu eorum, quibus praepositus est, quantum in ipso est, occidit, et forte qui imitatur moritur; qui non imitatur vivit, tamen quantum ad illum pertinet, ambo occidunt. Denique: Non tantum curemus habere bonam conscientiam, sed quantum potest nostra infirmitas, quantum vigilantia fragilitatis humanae, curemus nihil etiam facere, quod veniat in malam suspicionem infirmo fratri. Contra mementote: Esse insitum bonis, ut ait S. Ambrosius, ut castum pudicus, prudentem sapiens, misericors liberalem affectu pie diligat, et virtutes suas

Digitized by Google

in aliis amet: esseque in plerisque justi aspectum correctionis admonitionem, perfectioribus laetitiam.

Ad vitae exemplum accedere debet zelus indefessus in obeundo sacrosancto munere Vestro. Ac imprimis quidem diurna nocturnaque sollicitudine custodire contendite Fratres Filiique dilectissimi sacrum depositum, creditum manibus Vestris, quod est fides sancta Catholica, unica, ut saepius me dixisse memini, in naufragio salutis tabula, unica certa firmaque petra veritatis, in qua sola tuto conquiescitur, a qua qui recedit non emerget e fluctibus humanarum aberrationum. Tum vero in tenella pube, religionis veritatibus instituenda, qua occupatione nihil utilius, nihil coram Deo, et angelis ejus acceptius, nil destinationi nostrae convenientius potest cogitari, porro in sacris ad concionem dictionibus, adcurate ac sic elaborandis, ut sit sapidus salutarisque cibus animae, omnibus, qui tales sunt audituri; in Sacramentorum item administratione cumprimis autem Sacramenti poenitentiae, quo nihil datur salubrius, nil efficacius ad virtutem, et vitae sanctimoniam propagandam; sed quod negligenter, festine, sine prudentia aut mansvetudine administratum, in loenocinia potest transformari peccatorum, sic elaborate, ut fructum, adspirante divina, quae eam inquirentibus deesse non solet gratia, adferatis centuplum, et fructus Vester maneat. Sacro sanctum missae Sacrificium sic peragere curetis, ut ne ulla dissipationis spiritus, aut animi minus dispositi, festinationis aut commoditatis, sed potius vivae fidei, ac ardoris spiritus appareant indicia; ut videat fidelis populus, Vos rite praeparatos ad tam augustam functionem accessisse, inque intimis praecordiis tantae charitatis Salvatoris nostri dignationem persentiscere. — Denique in visitandis infirmis, in institutione sponsorum, in doctrina ex loci ac temporis opportunitate singillativis etiam personis impertienda, in caeteris non minus multifariis, quam salutaribus ministerii Vestri sacri partibus eos Vos praebeatis, ut cre-

Digitized by Google

ditus Vobis fidelis populus et patres in Vobis, et amicos, et consiliarios, et paracletos, et monitores benevolos, et sollicitos agnoscat custodes. Quae si pro suo quisque modulo praestiteritis, congeretis sane carbones in capita inimicorum Vestrorum, eritque Vobis gratia, laus et gloria coram ipsis etiam impiis; mitescent odia, emollientur corda iniquis referta passionibus; quodve caput rei est, habebitis pacem inenarrabilem, et dulce testimonium conscientiae Vestrae, reddetque Vobis olim Dominus mercedem illam magnam nimis, quam benigne promisit diligentibus se. Sed fiet etiam, ut si absens a Vobis intellexero hanc sanctam conversationem Vestram, repletus gaudio spiritus facilius feram, quas mihi impendere non obscure video acerbitates.

Quod superest, obsecro Vos, Fratres venerabiles, Filiique dilectissimi, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus Vestris pro me ad Deum: ut detur mihi sermo in apertione oris mei; ego vicissim, quod et hucdum feci jugiter, non cessabo deprecari Patrem coelestem pro Vobis quoque, proque omnigena incolumitate Vestra, et ut dignetur Vos vocatione sua Deus noster. In cujus rei tesseram paternam meam benedictionem Vobis toto cordis affectu impertior. Datum Zagrabiae in solita Residentia nostra Episcopali die 1-a Novembris in Festum OO. SS. incidente 1847.

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUADRAGESIMALES DE ANNO 1848.

GEORGIUS etc.

Venerabiles Fratres, et Filii dilectissimi!

Quamvis per notabile illud temporis spatium, quo e medio Vestri erepti, in remotioribus oris agimus, perarduis, varieque animum Nostrum afficientibus patriae negotiis impliciti, nullus praeterierit dies, quo non Nostra ad Vos, Fratres Filiique dilectissimi, desiderio Vestri recurrisset memoria; quo non piis et suspiriis et votis, Vestros in elaborando dominico agro sudores fuissemus prosecuti: nunc tamen, adventante iterum jejunio quadragesimali, id vero est, sacro eo tempore, quod Vestram peculiarius in cura animarum deposcit contentionem, quodve jaciendae salutaris sementis apprime et accommodum est, et destinatum, Nostra ista vota et suspiria increscunt et multiplicantur in tantum, ut non possimus temperare Nobis, quin, pro recepta jam antehac consuetudine, qualiacunque paternae exhortationis ad Vos dirigamus verba; plene confidentes ea sicut ex animo, tenera erga Vos voluntate pleno, proficiscuntur, ita promptum ad corda Vestra aditum repertura.

De ipsa in lege jejunii et abstinentiae dispensatione, in ea, quam superioribus annis praescripsimus norma nihil hac quoque vice immutandum arbitrati sumus; nec quidquam igitur hac in parte Vobis specialius habemus inculcandum. Oramus

Digitized by Google

tantum Vos iterum, atque iterum Fratres, Filiique dilectissimi, ut, quoad possibilitatis, pastoralisque prudentiae ratio permiserit, sacrosanctam hanc, ac medendis animabus aeque ac corporibus mortalium vere salutarem, nec sanctorum tantum omnis aevi, sed ipsius etiam Salvatoris nostri exemplo consecratam, et saeculorum experientia confirmatam disciplinam, salvam conservare adnitamini, et datae Vobis, quoad dispensandi facultatem, concessionis usum tum solum, ubi conscientiarum teneritudini subveniendum judicaveritis, faciendum existimetis; semper memores ejus S. Augustini: „Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, conscientiae nebulas dispergit, libidinum ardores extlngvit, castitatis vero lumen accendit;“ memores item dispensationem non plus coram divino judicio valere, quam valeant momenta rationum, quibus ea innititur.

Sed ut innuimus, non est Nobis propositum hac vice loqui ad Vos de hoc disciplinae ecclesiasticae genere, de quo alias jam explicatius Nostra Vobis sensa aperuimus. De praesenti munus Confessoris, et administrandi Poenitentiae sacramenti cumprimis obversatur oculis mentis Nostrae; de cujus rationibus nonnulla in memoriam Vobis revocanda Nobis proposuimus. Quippe, sicut parte ab una probe cognitum habemus, hoc sacri tribunalis officium nunquam copiosius exerceri, quam isto e propinquo nobis ingruente jejunii quadragesimalis tempore: sic parte ab altera plane persvasum Nobis tenemus, vix ullam esse pastoralis muneris partem, quae majorem exerere queat ad provehendos in populo christianae pietatis, atque adeo vitae sanctimoniae fructus efficaciam, quam exerat hoc ministerii genus, debita cum scientia, zelo, ac prudentia administratum. Totis itaque cordis praecordiis desiderantes, ut in insigni illa vineae dominicae parte, cujus praecipuam curam coelestis paterfamilias debilibus humeris Nostris impo-

Digitized by Google

nere dignatus est, nedum deficiat aut collabatur, sed laetiora in dies agat incrementa religionis sensus, morumque Christianorum puritas; Nostros in rem obtutus brevibus, quoad quippe caeterarum Nobis incumbentium occupationum patitur moles, Vobis exponendos judicavimus; non ut ignota Vobis, legem caeteroquin scientibus, pandamus theoremata, aut quod suspicemur aliter Vos in rem sentire; sed ut eorum, qui huc fortasse non satis animum advertere consvevissent, attentionem excitaremus, caeteros in arrepta salutari semita confirmaremus, cunctis voce Nostra pastorali aliquos adminus ad currendum stimulos adjiceremus, aut saltem Nostrum id faciendi desiderium commonstraremus; neque, si hic aut illic res aliter accidisset, neglecti muneris Nostri conscientia premeremur.

Non intendimus totam hanc, locupletem sane de Poenitentiae Sacramento doctrinam, scientifica methodo pertractare atque ex ordine notionem et necessitatem ejus, materiae item et formae requisita, aut constitutivas ejus partes, et harum proprietates explicare; haec enim et ex theoria disciplinarum sacratiorum, et ex hausta uberiore in cura animarum praxi cognita Vobis esse haud dubitamus. Ad eos saltem, qui irrepere possunt, quosque reapse varie suboriri Ipsi observavimus, defectus, attentionem Vestram excitare, Nostroque consilio, in tam gravi sacrosanctae vocationis sacerdotalis objecto, adesse Vobis elaborabimus; nil ambigentes: Vos benevolam hanc contentionem Nostram, ea, qua hucdum soliti estis fraterna, filialique promptitudine ac voluntate suscepturos.

Saepe Ipsi Nobiscum quaerebamus: quid causae subesse possit, quod, licet nemo negare queat, Poenitentiae Sacramentum, tamquam alteram in naufragio tabulam, propterea per infinitam Dei misericordiam humano generi concessam haberi, ut in nobis, veniam peccatorum nactis, sicque divinae justitiae reconciliatis, veram inducat vitae emendationem: hic tamen scopus per frequentiorem etiam Sacramenti hujus

Digitized by Google

participationem tam raro obtineatur? quid causae subsit, quod maxima pene fidelium nostrorum pars, post iteratas etiam sacramentales Confessiones, in eadem pene peccata relabatur, vixque aliqua vitae in melius mutatae praebeat documenta? Causam tristis hujus rei haud aliam unquam potuimus reperire, quam quod in administratione salutaris hujus instituti non ea adhibeatur ratio et solertia, quam adhiberi et rei ipsius gravitas, et nostri deposcit munus ministerii.

Ac imprimis quidem, ruralis praesertim populus poenitentiae sacramentum, et nominatim S. Confessionem non tanquam medium emendationis vitae, sed tamquam materialem sibi impositam obligationem solet considerare; cui, modo praescriptas formas in ejus participatione observet, se plene satisfecisse passim existimat. Haec si mentes hominum occupet persvasio, non potest non eos, quorum supra meminimus perniciosos exerere effectus. Quippe penes persvasionem idgenus, saluberrimum hoc exstirpandorum vitiorum, provehendaeque sanctimoniae vitae institutum in externam aliquam religiosi cultus formam, et frigidam pene adoptatae consvetudinis degenerat speciem; imo non raro in vitiorum etiam detorquetur lenocinium, quod nimirum errore idgenus laborantes homines, existimantesque se peracta confessione rite respondisse incumbenti suae obligationi, conscientiae suae, quos secus placare haud facile potuissent, remorsus consopiant; aut, impetrandae rursus tam facili negotio erratorum suorum veniae fiducia allecti, novas praevaricationes minus perhorrescant. Vestrum itaque erit Fratres, Filiique dilectissimi, fidelium mentibus genuinas de conditionibus, quibus efficacia sacramentalis Confessionis alligata est, inserere notitias. Vestrum est iisdem inculcare cum S. Chrysostomo, qualiter scelera dum non resecantur, in augmenta prosiliant facinorum; et cum Cassiodoro: quomodo occurrendum sit, ne tractu temporis impunita mali-

Digitized by Google

tia convalescat, et vires iniquitati dissimulatio, vel indulgentior gratia subministret. Verbo Vestrum est, eo omnibus modis elaborare, ut fideles clare cognoscant, et intus in animo persentiscant, externos Sacramenti poenitentiae actus, si essentialia ejus requisita desint, nihil operari ad impetrandam coram Deo justificationem, nec quidquam ad nostram conferre salutem, si non succedat emendatio vitae, quae ejus est scopus, et finis institutionis; ut pulchre in rem S. Augustinus: „Inanis est poenitentia quam sequens culpa coinquinat; nihil proficiunt lamenta, si repplicentur peccata. Nihil valet a malis veniam poscere, et mala de novo iterare.“

Alterum, qui Sacramenti poenitentiae efficaciam intercipit defectum, nec omnino levem aut rarum, in eo situm observavimus, quod conscientiae examen vel penitus intermittatur, vel admodum superficialiter peragatur. Quot sunt, in rurali praesertim plebe, qui determinatiores hac in parte habeant ideas? aut qui requisitum sibi sumant tempus ad excutiendos interiores cordis sui recessus? Hinc est, quod passim leviores tantum exerrationes, immo et talia, quae nec veri peccati speciem habent, enarrentur in sacro tribunali, ac ea quidem, eadem pene semper ratione, et consvetis cum repetitionibus; graviores autem praesertim legis charitatis praevaricationes, quod tales veri speciem peccati habere haud existimentur, nec memorentur? Uti sunt, exempli causa, pacis domesticae perturbationes, acerbae aliorum vexationes, odiorum concitationes, denegata miseris et afflictis misericordiae opera, bonae aliorum existimationi per detractiones illata damna; item quae ad obligationes status referuntur, uti parentum erga filios, horum erga illos, conjugum ad invicem, herorum erga sibi subjectos, subditorum erga suos heros, caetera his similia. Sunt, qui certas etiam carnis peccati species, falsis praetextibus, aut praejudicatis opinionibus inducti, haud vera esse peccata sibi persvadent, pluraque

Digitized by Google

idgenus fovent praejudicia, quibus a vera status sui moralis agnitione praepediuntur. Ad Vestri itaque rursus muneris partes referatis oportet, Fratres Filiique dilectissimi, omni meliore modo, ac in ipso etiam sacro tribunali, haec dissipare praejudicia, et modum rite discutiendae conscientiae edocere fideles Vestros, iisque in salutari hoc negotio adjutricem operam commodare. Maxima quippe, ut dixit quidam, spes est recuperandae salutis, fontem nosse langvoris.

Quemadmodum relate ad examen conscientiae, sic et relate ad integritatem Confessionis graves irrepere solent abusus, qui salutarem Sacramenti efficaciam intercipiunt. Quoties manca est Confessio ob metum aut pudorem poenitentis, qui impedit, quominus is Sacerdoti, Pastori suo et praeposito spirituali, sincere, et claris verbis adaperiat gravia praesertim crimina, et turpia peccata? Solet id evenire tum praecipue, si Confessarius aut natura sua acrioris sit indolis, aut falso sibi persvadeat, duriorem cum parochianis agendi modum necessarium esse, aut saltem utilem ad compescendas legis praevaricationes; quem quidem modum Nos nullo tempore, nullisque in rerum adjunctis Curatori animarum congruere, sed in sacro Poenitentiae tribunali plane periculosum atque adeo perniciosum esse semper existimavimus. Non autem eo tendimus hac observatione Nostra, ut justam severitatem prosternere, aut in laxitatem aliquam aut plane conniventiam transformare cupiamus. Immo hanc pariter necessariam, sed semper mansvetudine, intimaque charitate temperatam esse debere perspicimus. Sacerdotes „ait S. Augustinus“ caute necesse est vigilare sollicitos, quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris et contritionis infligant, quatenus eos nequaquam a verbo confessionis exterreant; sic corda aperiant, ut ora non obstruant.“ Item S. Gregorius: „Regat disciplinae rigor mansvetudinem et mansvetudo ornet

Digitized by Google

rigorem, et sic alterum commendetur ex altero; ut nec rigor sit rigidus nec mansvetudo dissoluta.“ Sunt porro, qui gravia peccata dubiis quibusdam, et genericis expressionibus contegunt, sicque suam placare contendunt conscientiam, nihil se reticuisse existimantes. Error hic non raro in perniciosissimum criminum pallium, et certissimum relapsus incitamentum degenerat. Evigilare itaque debet hac in parte Confessarius, et discrete, prudenterque per plures etiam positas quaestiones, velamenta idgenus discutere, et talia, quoad tantum licet removere; ut nimirum perspecto genuino poenitentis animae statu, apte suo et judicis et medici munere fungi queat. Sed et sunt, qui cauteriata conscientia, nec ullo verae poenitentiae spiritu praediti, ideo tantum ad peragendam S. Confessionem accedant, ut ne neglectus idgenus per caeteros subsumantur, aut aliis humanis externisque respectibus incitati. In plerisque casibus haud erit difficile apto, zelosoque Confessario, simulatores idmodi dignoscere, atque ad sanctissimam illorum pertinebit obligationem, data sibi hac opportunitate, tristem, in quo homo talis versatur animae statum, lugubresque ejus, quoad temporalem aeque ac aeternam vitam, sequelas vivis depingere coloribus; nec ulli parcet sudori ad oviculam idgenus suam, manifestam perditionis viam ingressam, ad salutis tramitem reducendam. Apte illi ingeminare, ac uberius etiam explanare debebit illud S. Augustini: „Servus peccati, quo fugit, secum se trahit quocunque fugerit: nec fugit se ipsam mala conscientia, non est quo eat; sequitur se, imo non recedit a se: peccatum enim quod facit intus est. Vis audire consilium? si vis a Deo fugere, ad ipsum fuge confitendo, non ipsi aliquid latendo: confiteri enim potes, latere non potes.“

Quod porro ad contritionis actum adtinet; non pauci itidem sunt in juniori praesertim aetate, ac inter remis-

Digitized by Google

siores, subque laxiori disciplina constitutos, minus debite vitae religiosae principiis innutritos, qui essentialem hanc Poenitentiae Sacramenti partem in consvetae formulae recitatione sitam arbitrantur, eamque sic verbis promunt, ut nullum in corde offensae divinitatis dolorem persentiscant. Tales si observaverit, vel tantum suspicatus fuerit Confessarius; eos omni cum teneritudine perniciosum hunc errorem dedocere, eisque immensam erga nos Dei bonitatem, et peccati, quo hanc offendimus, turpitudinem explicare debebit. Et id quidem, quo fieri potest disertius, memorando innumera Dei Creatoris, qui nos ex nihilo eduxit, ut aeternam aliquando consequamur beatitatem; Redemptoris, tanta pro salute nostra passi; Sanctificatoris, tot nos gratiarum donis cumulantis beneficia; caetera spiritualia et corporalia dona; quam proinde turpe quam ingratum sit, pro tantis beneficiis offensas supremo, tamque benigno numini reddere, ob exiguum temporale lucellum, ob momentaneam vilemque voluptatem, vel ob turpe aliquod studium commoditatis? Quod quidem ab exemplis etiam, verbi gratia a parentibus, aut aliis benefactoribus desumptis, uberius conabitur explanare zelosus Confessarius; ut sic peccati indignitate perspecta, verus de talibus commissis dolor cor penetret poenitentis. Non ignoramus Fratres, Filiique delectissimi, non semper nec illico posse a rudiori praesertim ruricolarum classe impetrari, ut perfectae contritionis sublimiores concipiant sensus; neque tamen et hi ad tales persentiscendos requisita destituuntur habilitate; et recte quia res non absque difficultatibus impetratur, eo majori studio elaborare debet curator animarum, praesertim cum praecipuam poenitentiae partem in vera contritione sciat esse repositam. Hac impetrata, sua sponte succedet verum emendandae vitae propositum; quod pariter in permultis casibus sola formulae recitatione solet absolvi. Itaque hujus quoque indoles persaepe et districtius est explananda, levioris praesertim spiritus, aut in gravia relapsis

Digitized by Google

poenitentibus. Ob oculos eis sistendum: sinceri de peccatis doloris, verique emendandae vitae propositi illud futurum verum indicium, si loca in quibus, personas cum quibus peccaverunt, verbo omnes peccandi occasiones, omniaque illicia sollicite vitaverint, si obstacula sanctioris vitae quae hucdum experti sunt, removerint, orationem, jejunium, eleemosynam, aliaque corroborandae virtutis remedia, quo fieri potest diligentius adhibuerint; secus propositum, factamque Deo de vita emendanda promissionem fucatam potius quam veram fuisse, sicque ipsam etiam confessionem vix quidquam eis profuturam, ad veram cum Deo reconciliationem, operandamque salutem ipsorum sempiternam.

Quod concernit opera satisfactoria poenitentibus imponi solita; in nullo fortasse disciplinae ecclesiasticae genere plures recentioribus his temporibus irrepserunt abusus, quam in hoc secus suapte natura tam utili, et ad morum pietatem apud Christianos inducendam olim tam salutari. Priscus imprimis ille Ecclesiae rigor in tantum eviluit, ut hodie tota pro gravibus etiam peccatis imponi solita satisfactio, paucis absolvi posse existimetur precibus et eleemosynis. Causa quidem hujus tantopere laxatae disciplinae magna sui parte in refrigescente his temporibus nostris charitate, zelo, ac pietate populorum est reposita: neque tamen culpa vacant sacrorum Ministri, ac Ponitentiae cumprimis Sacramenti dispensatores, qui pene incomprehensibili quandoque in gravi hoc negotio utuntur indulgentia, atque adeo levitate; haud memores aurei illius S. Ambrosii: „Quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur; habet enim et amor plagas suas, quae dulciores sunt, quum amarius inferuntur: dulcior enim est religiosa castigatio, quam blanda remissio;“ item S. Gregorii: „Qui non corrigit rescanda: committit; et facientis culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare.“

Digitized by Google

Itaque haec imprimis nimia facilitas, et plus incuria quam lenitas Confessori vitanda est. Neque tamen id eo sensu volumus intellectum, ut seu antiquum quis reducere tentet rigorem, seu prudentiae in assignandis poenitentiae operibus migret modum, seu demum in oppositum indiscretae severitatis errorem prolabatur. „Discretio Confessoris," ait S. Augustinus, „valde necessaria est; consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in veritate personae, cujus fuerit aetatis, cujus sapientiae et ordinis, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius multiplici executione." Quippe sicut nimia laxitas, sic et indiscreta hac in parte severitas, non modo non operatur ad intentum scopum, sed majorem quandoque inducit ruinam, et ad arripiendam persaepe virtutis viam paratum, a tramite salutari retrudit. Quemadmodum itaque in plerisque rebus, sic et in hoc negotio a justa mensura plurimum dependet, quam si migraverit Confessarius, suo periculose abusus est officio. Plurimum autem interest, ut non eadem, aut similia cunctis, diversorum etiam criminum reis, imponantur satisfactoria opera: miser sane foret medicus, qui variis morbis laborantibus eadem semper exhiberet medicamina. Ideo praecipit sacrosancta Synodus Tridentina: „Ut Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungant." Erunt autem salutares, si aptae fuerint ad sananda, expiandaque peccata; convenientes, si numero et gravitati peccatorum, aetati item, conditioni et dispositioni poenitentis fuerint accomodatae. Erunt etiam medicinales: si causas et occasiones peccandi removeant, pravas cupiditates coerceant, et emendationem poenitentis procurent. Cum videlicet calida frigidis, frigida calidis curentur, ut ait scriptura; peccatis quoque contrariae sunt opponendae virtu-

Digitized by Google

tum exercitationes. Hinc superbis humilitatis, avaris beneficentiae, iracundis mansvetudinis, et patientiae opera sunt injungenda, libidinosis jejunia, aut aliae carnis afflictiones, gulosis temperantia, ebriosis abstinentia, impiis devotionis officia. Caeterum in his etiam meminerint muneris sui esse, sic, ut quidam dixit, premere poenitentes, ut non opprimantur homines; et ne forte, ut ait S. Chrysostomus, volentes rupta sarcire, majorem operentur disruptionem et cupientes erigere collapsa, casum inferant graviorem.

Haec sunt, quae de Confessoris, qua judicis et medici, Officio in memoriam Vobis revocanda censuimus. Ex iisdem intelligitis Fratres, Filiique dilectissimi, his doctoris etiam munus jugiter esse conjungendum, et quidem sub ipso actu confessionis sacramentalis: quando videlicet et animus poenitentis maxime est dispositus ad recipiendam doctrinam salutarem, et haec vel ideo ampliores producere debet fructus, quod uniuscujusque indigentiis, genioque possit accomodari; magisque in animum agant, quae ad singulos, quam quae ad multitudinem diriguntur. Cum tamen institutiones hae in sacro tribunali impertiendae, suapte natura breviores esse debeant: ad pastorale munus inprimis attinere perspicitis; catecheticis, publicisque ad concionem sermonibus cuncta, quae Poenitentiae Sacramentum optato cum fructu suscipiendum spectant, quo fieri potest frequentius, clarius, et adcuratius explanare, et mentibus cordibusque fidelium inculcare.

Eo autem tripplici hoc munere defungemini exactius ac fructuosius, Fratres, Filiique dilectissimi; quo purior fuerit in administratione hujus Sacramenti intentio Vestra, quove sanctior scopus omnis operationis Vestrae; quippe propagandae gloriae Altissimi, pietatis morum, salutis animarum provehendae. Hic si corda Vestra penetraverit purae intentionis stimulus: non deerunt Vobis, superna adspirante gratia, apta ad intentum sacerrimum finem remedia, non consilium, non

Digitized by Google

modus, non vires, non fructus salutares. Facile hinc collimabitis, quam cavenda sit Confessario omnis, quae non aeternam poenitentis salutem pro scopo habet, in ponendis quaestionibus curiositas; quaecunque oblectationis sensualis species, qualescunque ad fines temporales respectus. Oblivisci horum penitus, eaque removere ex mente, ex animo suo debet Confessarius, nec quidquam videre in poenitente suo, quam oviculam pretioso Christi sanguine redemptam, suisque manibus concreditam propterea, ut illam divinae gratiae, per peccatum amissae, recuperandae doceat viam; dirigat, ac manu prehensam ducat, ad purissimos innocentiae vitae et puritatis Christianae fontes. In Tribunali sacro omnis praecedentium, quoad res temporales correlationum, omnis propensionis aut aversionis, omnis etiam offensionum, aut injuriarum recordatio penitus debet exulare; omnis denique, inter divites et pauperes, potentes et humiles, senes et juvenes, ipsum adeo sexum et sexum discriminatio. Qui Dei vices obit, tamque sublimi defungitur munere, procul absit oportet, ab hujusmodi sordium inquinamentis.

Patet porro exhinc, grandem in Confessario defectum esse, si cum aliquo renisu, aut tergiversatione ad hoc munus exercendum accedat, aut non satis mitem cum poenitentibus suis teneat agendi, loquendique modum. Morositas idgenus fiduciam labefactat, obtundit corda, intercipit ingenuam sinceritatem. „Raro et magna necessitate," ait S. Augustinus, „objurgationes adhibendae sunt; ita tamen, ut in his etiam ipsis non nobis, sed Deo serviatur."

Non minus periculosum vitium est in Confessario festinatio. Scimus, non raro eum esse poenitentium confluxum, ut justa temporis ratio habenda sit. Nunquam tamen per externa adjuncta eo se determinari patiatur Confessarius, ut suo desit Officio, et opus Dei negligenter perfecisse coram suamet conscientia, coramque Dei judicio arguatur. Domi vero

Digitized by Google

in proprio mapali constitutus, sic per classes fidelium, perque temporis spatia administrationem hujus Sacramenti dispartiatur, ut singulorum respondere possit indigentiis, nec penuria temporis ad pernitiosam, turpemque festinationem compellatur; quod quidem, modo serio velit, efficere poterit, etiamsi aliqui in obversum abusus irrepsissent, etiamsi contraria debellanda forent praejudicia. Meminerint jugiter reddendae olim coram tribunali divino rationis, de animabus perditionis viam eo fortasse ingressis, quod non in veri Pastoris, sed mercenarii, philauciae potius, quam aeternae suorum salutis studiosi Confessarii manus inciderint.

Tristissimum autem foret, nec minus in se abominabile, quam in suis sequelis funestum, si quis ad excipiendas fidelium confessiones, curandaque animarum vulnera impurus, aut plane gravioris culpae sibi conscius accederet, si hoc novae regenerationis Sacramentum administraret, ipse infectus coeno peccatorum. Animus refugit cogitare Sacerdotem in Confessionali, Dei vicem sustinentem, impura conscientia praeditum. Qua fronte potest talis se offerre judicem super iniquitatibus aliorum, aut medicum curandis morbis animarum deputatum, aut doctorem, innocentiae et sanctitatis praecepta aliis instillaturum, qui ipse sub peccati onere gemit, qui ipse lepra spirituali laborat, ipse facto, vitaeque suae ratione refellit propinatam doctrinam? Sacerdotem talem, nisi omnem penitus fidem, omnemque teneriorem sensum exuisset, pudore sane coram se ipso confundi, ac horrore gravis olim coram supremo judice reddendae rationis percelli oportet. Sed qualis etiam ab idgenus Sacerdote potest sperari fructus charismatum, tam turpiter pollutis manibus dispensatorum? „Qui cordis sui domum excolere non valet, „ait S. Ambrosius“ quomodo plurimorum adhibebit diligentiam, et qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam.“ Item S. Gregorius: „Mundus

Digitized by Google

esse a vitiis debet qui aliena corrigere curat; quatenus tanto perspicacius aliis fugienda videt, quanto hoc ipse per scientiam et vitam celerius declinat: quia nequaquam pure in membro maculam considerat oculus, quem pulvis obtenebrat; et superjectas sordes tergere non valent manus, quae lutum tenent.

Oramus itaque Vos Fratres, Filiique dilectissimi, ut antequam ad excipiendas fidelium confessiones accedatis, Ipsi rationes cum conscientia Vestra ineatis, et, si qua illic haeret labes, talem digna humilique ad alterutrum confessione eluatis, nec nonnisi rite mundati, ad portanda ministrandaque aliis vasa Domini gressus Vestros dirigatis. Quod quidem toties, quoties peccati alicujus reatum Vobis oggerit conscientia, sed et secus frequentius, ac instantibus praesertim majoribus festis, faciendum Vobis est. Confessio enim sacramentalis non tantum resecat animae mala, sed et praeservat a futuris, ac insigne vitae in melius mutandae praebet subsidium. „Poenitentia" ait S. Augustinus, „langvores sanat, leprosos curat, et mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conservat, claudis gressum, aridis copiam, coecis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat." Quodsi autem id valet sine temporis discrimine: valere cumprimis debet ingruente hoc S. Quadragesimae curriculo, quod specialius, agendae, dispensandaeque sacrae poenitentiae est destinatum, et cujus decursu universi fideles ad hujus participationem gratiae debent, solentque accedere. Propterea hortamur Vos, immo obtestamur in Domino, ut singuli Vestrum delecto opportuno tempore, ad triduum saltem aut quatriduum, in vicinum aliquem Religiosorum conventum, aut honestam secus solitudinem se recipiant; vel si id fieri absque gravi incommodo haud posset, domi propriae se ab omni, praeter quod pastoralis muneris exercitium necessario deposcit, consortio separent, et hos saltem paucu-

Digitized by Google

los dies, piis precibus, spiritualibus exercitiis Deo, ac animae suae, suaeque curae commissorum saluti consecrent, sicque excussis intimis conscientiae recessibus, renovato tenero de peccatis ac negligentiis suis dolore, dignaque ad alterum fratrem confessione, se divinae justitiae penitus reconciliare, hominem novum induere, spiritum salutaribus propositis obfirmare, ac sic septiformi divinae gratiae munere vegetati, ad sanandos aliorum morbos, eradicandaque vitia accedere contendant. Non deerit numen supremi Pastoris nostri piis conatibus Vestris: prope enim est omnibus invocantibus se, et gaudio exultabit spiritus Vester, et praebebitis Vos, ut dicebat quidam, Joannem incaestuosis, Mathiam Apostatis, fornicantibus Phineem, Eliam idolatris, Petrum mentientibus, blasphemantibus Paulum, negotiantibus Christum, verbo omnibus omnia, et non declinabitis ad dexteram, neque ad sinistram; exhibebitis Vos probabiles Deo, operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis, et abundabit fructus Vester et habebitis mercedem magnam nimis. Caeterum liceat Nobis Vos verbis Apostoli interpellare, ut quemadmodum Ipsi gratias agimus Deo nostro in omni memoria Vestri, semper in cunctis orationibus Nostris, pro omnibus Vobis cum gaudio deprecationem facientes, super communicatione Vestra in Evangelio Christi, a prima die usque nunc, confidentes hoc ipsum, quia qui coepit in Vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu: sic Vos vicissim Fratres, Filiique dilectissimi memores sitis Nostri in obsecrationibus Vestris, orantes omni tempore, in spiritu, et in ipso vigilantes in instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis, et pro Nobis, ut detur Nobis sermo in apertione oris nostri cum fiducia notum facere mysterium Evangelii. Amen.

Datum Posonii sub generalibus Regni Comitiis, Dominica Septuagesimae in vigesimam Februarii incidente anno Domini 1848. Episcopatus Nostri undecimo.

Digitized by Google

ENCYCLICAE, QUIBUS CLERUS DIOECESANUS, OB PERICULOSA TEMPORUM ADJUNCTA, AD DUPPLICANDUM PASTORALEM ZELUM EXSTIMULATUR, DIMISSAE DIE 25. APRILIS ANNO 1848.

Venerabiles Fratres, Filii dilectissimi!

In universali ista, quae totam pene Europam intra paucas bebdomades pervasit, cuive vix parem exhibere possit praeteritorum saeculorum historia, rerum politicarum innovatione, nec nostra utique patria potuit remanere intacta. Evenerunt jam hucdum non pauca, eventura indubie sunt plura, quae magnum sane in publicae prosperitatis rationes habitura sunt influxum, quae tamen quo proprie evasura sint? humanum ingenium vix probabili assequi potest conjectura. Id unum cum certitudine statuere possumus, Fratres, Filiique dilectissimi, haec tum solum felicem posse operari effectum, si Ejus nobis adstiterit numen, in Cujus manu positae sunt sortes nationum; Cujus nutui parent imperia; Qui est rex regum, et dominus dominantium. Non est consilium adversus Dominum, et nisi ipse custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam. Si quando itaque Fratres, Filiique dilectissimi, hoc certe summe critico temporis momento, nobis, qui Pastores sumus constituti dominici gregis, quorum manibus divinorum charismatum commissa est dispensatio,

Digitized by Google

cordi esse debent religio sancta, cordi esse debent cuncta ea, quae ad nostri pertinent rationem ministerii. Si quando, nunc certe puras elevare nos oportet manus ad Eum, qui est salus et protectio nostra; nunc piis atque assiduis insistendum precibus, ut mittat nobis Dominus assistricem sedium suarum sapientiam, ad cognoscendam voluntatem suam sanctam; ut induat nos robore ab alto, ad tenendam, non obstantibus adversitatibus quibuscunque, semitam rectam mandatorum suorum, nec nos declinare patiatur seu ad dextram seu ad sinistram a via quae beneplacita est in oculis ipsius. Si quando, nunc profecto eos nos exhibere debemus in verbis ac sermonibus, in cunctis actionibus et intermissionibus nostris, ut non modo nihil, quod jure reprehendi possit, inveniatur in nobis, sed ut actiones nostrae, omnisque vitae nostrae tenor, paradigmatis instar deservire possit aliis, cumprimis fidei, curaeque nostrae concreditis.

Nostis, Fratres, Filiique dilectissimi, unicam prosperitatis nostrae, non aeternae modo, sed et temporalis firmam basim in religione consistere, neque hanc sarciri posse seu philosophorum theorematibus, seu dissertationibus moralibus, humanae sapientiae placitis innixis, seu quibusvis institutionibus socialibus, civilibus, aut politicis. Cuncta haec nisi verae superstruantur fidei, per Salvatorem nostrum nobis de coelo adlatae, quantamvis portendere videantur efficaciam, mox ut vana somnia evanescunt; aliis atque aliis, persaepe ad admirationem usque paradoxis, locum cedunt nec raro ab intento fine abducunt potius, quam ad eum conducunt. Nihil est, quamcunque primo obtutu sublime, humanae naturae indigentiis consonum, quamcunque melioribus etiam conceptibus ac inclinationibus mortalium correspondens videatur, quod beatum, suaque sorte contentum reddere possit humanum genus, si in contradictione sit positum cum aeternis sacrosanctae fidei ac religionis nostrae principiis. Id, si cuncta alia deessent argumenta, sat aperte

Digitized by Google

docuit, docetque bismille pene annorum, ac omnium cultioris orbis nationum experientia. Docet in specie exemplum magnae illius, sed ad innovationes perquam proclivis in occidente nationis, quae post enormes, quas versus finem prioris saeculi perpessa est convulsiones, cum ingenti humani sanguinis effusione conjunctas, tum primum potuit requiescere, ubi ad principia verae religionis, inque sinum reversa est matris Ecclesiae, et quae natio terribilibus ejus temporis experimentis docta, in praesenti rerum suarum publicarum immutatione, ea, quae ad religionis integritatem, Ecclesiaeque pertinent decus ac libertatem, omnimode intacta studet conservare; probe perspiciens hoc solum pacto ordinem ac prosperitatem publicam posse conservari, et horribiles istos prioris saeculi eventus praepediri. Quamobrem cunctis, qui humano generi bene cupiunt, eo est omni conatu enitendum, ut non modo ne deficiat, sed reviviscat potius, augeatur, consolideturque vera in mentibus hominum fides, genuinus sensus christianae morum puritatis ac pietatis.

Non possumus ignorare irrestrictae istius per totam Monarchiam, immo universam pene Europam invalescentis preli libertatis sequelas; non possumus non advertere, auctoritatum omnis generis efficaciam multum attenuatam, Ecclesiam imprimis, tum quod ministri ejus, nec solum altioris, sed et inferioris gradus, redituum temporalium grandem patiantur jacturam, tum quod potestatis saecularis protectione pene destituta sit, sibi quasi soli propriisque suis relinqui viribus; apertumque esse campum, apud nos quoque, in regno adusque eminenter catholico, dogmata a catholica veritate aliena, non modo palam propugnandi, sed quaqua licet versum propagandi. Verum est, Fratres, Filiique dilectissimi! veritatem catholicam nunquam refugisse lucem publicitatis, nunquam violenta in sui tuitionem propagationemque adhibere voluisse media, nec fere aliud, quam verae, sua quoque ex parte, libertatis desiderasse praesi-

Digitized by Google

dium; immo tum recte floruisse laetissime, dum persecutionibus maxime fuerat obnoxia, dum quibusvis astutiae, livoris, cunctis denique erroris, aut malignitatis artibus acerrime impetebatur. Nunc quoque, speramus Eo, cujus verbum solvi non potest, et qui nunquam ab Ecclesia sua se recessurum tam diserte professus est, propitio, fidem nostram sanctam, Ecclesiamque nostram perstituram inconcussam, et emersuram ex iis, quae ei impendent novis tempestatibus, quantumvis hae graves, et periculosae videantur. Sed vero haec in fines saeculorum perseveratio, certus hic super cunctos inimicos triumphus, toti adpromissus est Ecclesiae, neque haec promissio excludit possibilitatem, ut ex his vel illis oris, ab hac vel illa natione, auferatur regnum, et transferatur ad nationes alias, felicius operaturas salutares fructus ejus.

Itaque Fratres, Filiique dilectissimi, advenit illud temporis momentum, quo intendendae sunt omnes vires nostrae in propugnandis muris Jerusalem, nunc praesertim solerti cura evigilandum, ne fera pessima depopuletur Domini gregem, ne inimicus homo spargat zizania, suffocatura triticum, ne sensualitatis, aut fatuae lucis illecebris inescati fideles, a vera illa, quae ad prosperitatem ducit, semita deflectantur, et ab unica, quae ipsis, in medio tempestatum harum navigantibus, suppetit tabula salutis elongentur. Media autem, quibus adjuvante divina gratia, id efficere possumus, ea ipsa sunt, quae nobis suppeditat sacrosancta vocatio nostra; ac imprimis gladius ille in utramque partem acutus, praedicatio quippe verbi, indefessa tum parvulorum, tum adultiorum in scientia sanctorum institutio; solers, adcurata, et veram aedificationem operari potens Sacramentorum administratio, sed cumprimis intemerata propriae vitae sanctimonia, puritas morum, exemplaris sacerdotalis conversatio; demum ea, quae in exteriori quoque habitu, cultu corporis, ab omni mundana vanitate remoto

Digitized by Google

in verbis et dictis, omnique actionum ac omissionum nostrarum complexu, semet exerere debet regularitas. Inter omnes quae postremis his temporibus mihi obvenerunt acerbitates, nulla, fateor, mihi accidit gravior, quam quod ex actis, per Consistorium mihi substratis, ac aliis fidedignis relationibus intellexerim, reverentiam et obedientiam legitimae superioritati debitam, in ipso etiam clericali statu, ex his temporis nostri eventibus, labefactari coepisse, nec parva capere detrimenta disciplinam salutarem, quae fundamentum est recti ordinis, custodia morum, praecipuum sanctimoniae vitae praesidium, et fructuosae in vinea Domini operationis indispensabile subsidium. Quamvis nedum confidam in Domino, sed plane mihi persuadeam, longe maximam Vestri partem, Fratres, Filiique dilectissimi, procul abesse ab hujusmodi contagii participatione, sicque Vos ambulare de praesenti etiam, ut ambulastis antehac, nostisque Vos debere ambulare: tamen hae vel aliquorum exerrationes dolore, ac angoribus compleverunt animum meum; tanto quidem magis, quod adhucdum in iis verser rerum adjunctis, ut meum ad sedem meam Episcopalem, inque medium Vestri reditum, in aliquod adhuc tempus differre cogar; nec proinde per me ipsum, seu malis, quae jam irrepserunt, efficaciora adferre remedia, seu, ne contagium ulterius serpat, necessaria opponere queam impedimenta. Quam grave mihi sit, quam acerbum tanto tempore Vestro privari conspectu, consortioque, Fratres ac Filii dilectissimi, quam vero cumprimis hoc rerum statu? Ipsi facile potestis judicare, qui numquam, ut firmiter confido, de meo erga Vos fraterno, paternoque affectu dubitastis; qui cognoscere poteratis, cognovistisque indubie, in Vobis, fidelique Vestra in succolandis curis pastoralis mei muneris cooperatione, omnes, post Deum, repositas fuisse spes meas, omnem coronam gaudii mei, omnem consolationem meam. Sed vero divinae acquiescendum est voluntati; cujus quidem inscru-

Digitized by Google

tabilia sunt judicia, sed quae in dispositione sua non fallitur, et scit de malis quoque educere bona.

Itaque, quod necdum mihi datum est praestare coram, hisce agere volui scriptis literis: attentos quippe Vos praestare ad praesentia temporum adjuncta, quae sicut parte ab una non vacant periculis pro re sancta religionis, et vocationis nostrae: sic parte ab altera incitamento nobis esse debent, ad triplicandum zelum, omnemque contentionem nostram; et quae sicut occasionem praebere possunt nonnullis ad manifestandos latentes hucdum cordis sui affectus, verae vocationi sacerdotali minus congruos; sic pulcherrimum bonis omnibus praebent campum, ad demonstrandam sinceritatem quae adusque profitebantur principiorum, vitae anteactae, germanaeque erga sacrosanctam religionem, et vocationem suam adhaesionis. Volui Vos hortari immo obsecrare in visceribus Jesu Christi, nec pro incumbente mihi munere tantum, sed et pro anxia, quae cor meum incessanter exercet, conservandae fidei catholicae, et religiosae morum pietatis sollicitudine: ut assumpto scuto fidei, et galea salutis apposita, et praecincti lumbos Vestros charitate, tanto virilius subeatis praelia Domini: quanto graviora sunt pericula bonae nostrae causae impendentia. Non est frugi miles, qui tempore pacis, status sui delectatur honoribus, ac insigniis, sed qui impendentium hostilium agressionum tempore, suam exerit virtutem, ac spiritum heroicum. Agite Fratres, Filiique dilectissimi, et nolite committere, ut si ampliores adhuc divinae voluntati nobis immittere visum fuerit calamitates, tentationesque; si religionem, et christianam vitae puritatem ampliora adhuc perpeti contigerit detrimenta: haec quaqua sui parte, non dicam cooperationi nostrae, sed cuicunque ex parte nostra conniventiae, remissioni zeli, aut neglectae disciplinae adscribantur. Esset hoc sane detestabile in oculis mundi, nec bonorum tantum, sed et eorum, qui frena nunc laxare velle videntur omnis ge-

Digitized by Google

neris licentiae: esset abominabile, atque adeo exitiosum nobis in oculis Dei, cujus causa nostrae concredita est fidei, et virtuti. Deus, pater omnipotens, et supremus Pastor animarum nostrarum, Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus, custodiat corda ac intelligentias Vestras, induat Vos robore ex alto, protegat brachio suo forti, detque Vobis sapere in id ipsum, ac firmiter insistere sanctae, et inconcussae voluntati suae.

Dabam Viennae die 25. Aprilis 1848.

Georgius, *Episcopus m/p.*

Digitized by Google

ENCYCLICAE, QUIBUS NONNULLORUM E CLERO DIOECESANO, DISCIPLINAM COELIBATUS, REGIMINISQUE IN ECCLESIA CATHOLICA FORMAM IMPUGNANTIUM PROCACITAS REFELLITUR, DIMISSAE DIE 20. JUNII ANNO 1848.

Venerabiles Fratres, Filii dilectissimi!

Quamvis sollicitudinem meam, ne quae ex tantopere mutatis temporum nostrorum adjunctis, in sacrosanctam religionem, Ecclesiam, et signanter peramplam hanc Dioecesim nostram dimanent detrimenta, adhuc Viennae agens, ope encyclicarum literarum die 25. Aprilis a. c. exaratarum, Vobis aperuerim, Fratres, Filiique dilectissimi: temperare tamen mihi non possum, quin ad Sedem meam Episcopalem, juvante Deo Optimo Maximo reversus, deque rerum nostrarum situ uberius informatus, novitus, cordis mei sensa in Vestrum effundam sinum, confidens in Domino: Vos paterna mea verba filiali, eaque tenera benevolentia excepturos, neque commissuros, ut anhelis meis in Vestram non minus, quam Ecclesiae, Patriaeque prosperitatem tendentibus votis, minus optatus, quantum quidem ex Vobis est, respondeat effectus.

Quemadmodum toto, sat notabili jam, Episcopatus mei tempore expertus sum; sic nunc quoque, nec absque intimi solatii, et tenerae erga divinam bonitatem gratitudinis sensu

Digitized by Google

experior, longe maximam Cleri mei dioecesani partem eam firmiter tenere sentiendi, agendique rationem, quae sobrietati mentis, sanctimoniae status clericalis, Evangelii, Ecclesiaeque praeceptis apprime sit consentanea; ac plerosque neque seu principiorum in dies magis magisque invalescente perversitate, seu licentiae, falso libertatis colore tinctae, stimulis, seu demum pravorum exemplorum illiciis se a recto, quem iniverant, tramite sinere deturbari; quos quidem et dehinc, adspirante divina gratia sui similes mansuros, et quascunque nobis adhuc calamitates, quamcunque acerbas tentationes immittere divinae visum fuerit providentiae, nec ad dextram, nec ad sinistram declinaturos, firmiter spero; eritque id, prout et hucdum fuit, praecipuum mearum ad Patrem coelestem precum, suspiriorumque meorum objectum.

Sed vero, sicut haec de maxima parte Vestri, Fratres, Filiique dilectissimi, pectori meo insidens persvasio, insignem mihi adfert laetitiam: sic acerbo e contra cor meum dolore afficitur, quod reperti tamen sint in ipso Clero dioecesano nonnulli, qui, non obstantibus etiam supra memoratis pastoralibus meis literis, non modo principia spiritui Ecclesiae, et systemati Catholico adversa in animum suum admittere, sed talia etiam, nec verbis tantum prolatis, sed et scriptis typis procusis, publici juris facere haud quidquam pensi duxerint; abusi nobili secus ista, quaeve sobrio usu tam insignem utilitatem humanae societati, ipsi adeo religioni et morum probitati adferre posset, vocis ac preli libertate; abusi multifariis, quae a repentina universalique rerum politicarum immutatione abesse vix possunt, convulsionibus, quaeve caeteros inter effectus eum etiam solent producere, ut multorum manifestae fiant cogitationes cordis, sensaque in apricum prodeant, sollicite antea compressa, aut hypocritice simulata. Non verebantur videlicet hi adversus universalem, vetustam, tamque venerabilem in latina Ecclesia

Digitized by Google

coelibatus disciplinam palam vocem extollere, eamque sollicite conquisitis, ac centies jam repetitis, centies refutatis argumentis impugnare; posita omni pene, quae statum clericalem tantopere decet, verecundia. Non verebantur porro, libertatis modernae auram captando, superiores suos, Praesulesque, velut Cleri inferioris, ac sui imprimis ipsorum oppressores, subsumere, auctoritatem Episcoporum, ab ipso divino fidei nostrae auctore, Jesu Christo institutam, et systemati Ecclesiae Catholicae essentialiter inhaerentem, vellicare, in ipsum adeo Ecclesiae Primatum inconvenientibus, imo audacibus uti expressionibus; eo plane dementiae procedentes, ut Clericos Episcoporum jurisdictioni nonnisi in iis, quae ad muneris sacerdotalis attinent rationes, ac id etiam sic tantum obnoxios reddi cuperent, ut a Praesulis sententia ad civilem potestatem appellatio fiat. Alii vestis saecularis promiscuum usum; immo majoribus etiam Ordinibus initiatis, ipsis curae animarum applicitis Sacerdotibus, liberum ad statum saecularem reditum indulgeri postulant, sicque ipsum de Sacramento Ordinis dogma, quod nimirum illud indelebilem animae characterem imprimat, indirecte saltem impetere praesumunt.

Nec deerat, qui Episcopum suum dioecesanum propterea, quod corruptis hujusmodi principiis contrarium se praeberet, jesuitico spiritu infectum; aut quod contra Sacerdotem, disordinatae, immo scandalosae vitae fidedigne insimulatum, per immediatum ejus superiorem investigationem instituendam ordinasset, hispanicae inquisitionis fautorem; aut, quod duos Clericos omni prorsus, juxta fidedignam superiorum Seminarii informationem, ecclesiastico spiritu, omnibusque vocationis sacerdotalis indiciis destitutos, ipsis Domini et festis diebus, insuperhabitis superiorum positivis jussis, ad Ecclesiam comparere renuentes, sed et secus manifestos disciplinae domesticae contemptores, ad saeculum remisisset, tyrannici dominatus; aut denique, quod

Digitized by Google

errantes, vel excedentes Sacerdotes ad rectum ordinem reducere, citra omne partium studium omnique adhibita moderatione adniteretur, defectus patriotici spiritus, et oppressionis justae libertatis arguere haud vereretur. Eo quoque nonnulli imprudentiae, inque ipsam Ecclesiam Catholicam, cujus maternis uberibus enutriti sunt, impietatis progressi fuerunt, ut svaderent, cuncta Episcopatuum, Capitulorum, Ecclesiarum possessoria, omnesque fundationes pias et ecclesiasticas, sacerdotalibus manibus eripi, et saeculari potestati subjici. Plura hujusmodi adhuc possem memorare, sed vel haec abunde, credo, produnt praeposteram, et viro ecclesiastico indignam idgenus sacerdotum cogitandi, sentiendique rationem. Neque certo facile determinari potest, an compassionem haec, tanquam manifesta ignorantiae, et tenebris offusae mentis documenta, excitare debeant potius, quam indignationem, velut certissima animi omni pene ecclesiasticae vocationis sensu destituti, indicia. Quippe tam erronei, de rebus ad compagem systematis sacrosanctae religionis et Ecclesiae nostrae pertinentium, conceptus, miram parte ab una produnt idearum confusionem, parte vero ab altera animum arguunt illiciis legis illius, quae est in membris nostris, repugnans legi mentis nostrae, captivatum. Profecto temporis nostri eventus prudentem, probum, et religionis sensu animatum Sacerdotem, non possunt non viva percellere sollicitudine de futura Religionis et Ecclesiae sorte; non possunt non ipsum exstimulare ad tanto sollicitiorem rerum divinarum curam, quanto has majori expositas conspicit periculo. Sacerdoti frugi, et cordato hi temporis nostri eventus stimulos subjicere debent, ad majorem potius in castitate, humilitate, obedientia, caeteris virtutibus profectum, omnimodamque vitae exemplaritatem, et indefessum sacri sui muneris zelum, quam ad captandam falsae libertatis auram, ad detrectandam legitimae suae superioritati debitam obedientiam, ad concupiscenda ea, quae sunt

Digitized by Google

carnis et sangvinis. Qui his periclitantis religionis et Ecclesiae temporibus, hujusmodi fovere potest desideria et agitare consilia; profecto neque nobilem animum pandit, neque ad eos omnino Sanctuarii viros referri potest, ex quibus salus provenire queat in Izrael. Satius fuisset talibus manere in saeculo, cujus spiritum spirant; remanere in mundo, cujus apertos semet laudatores praebere non ambigunt, in manifesta cum Salvatore oppositione, qui suos non voluit esse de mundo, et ideo his, qui de mundo sunt, odio futuros praenunciavit. Sacerdos laudator mundi non est dignus, ut manibus ejus credantur dispensanda mysteria coelestia, quae ad tuendas contra mundi corruptelam immortales hominum mentes, sunt instituta.

Quod jam nominatim adtinet ad disciplinam coelibatus; obtrectatores hujus ea solum, quae contra pugnant, vel sibi pugnare videntur, urgent argumenta; ad ea vero, quae in ejus favorem adduci fundatissime possunt, ne advertunt quidem. Non est propositi mei his recensendis, aut plane uberius enucleandis immorari; sed coecus sit oportet, qui non videat, rem hic agi de universali totius latinae Ecclesiae norma, longo saeculorum usu, Conciliorum decretis, Sedisque Apostolicae constitutionibus firmata; quae proinde eadem tantum, qua constabilita est, authoritate legitime possit seu restringi seu retractari; neque sermonem esse posse de particularibus Ecclesiis, singillativisque provinciis, aut civilis potestatis in rem auctoritate. Certum pariter est, ex universali totius Catholicae, imo et orientalis illius, quae ab unitatis centro tristi scissione recessit, Ecclesiae sensu, de coelibatu Clericorum eo tantum modo quaestionem verti posse, ut ad sacros Ordines tales etiam promoveri admittantur, qui prius matrimonii vinculis erant irretiti, nullatenus autem, ut viris in sacris Ordinibus constitutis, uxorem ducendi facultas concedatur. Talem disciplinae laxationem nunquam certe patietur Ecclesia Catholica, nec pro-

Digitized by Google

inde uxorum habendarum avidi idgenus Sacerdotes suis unquam potientur votis, nisi ad eum plane processerint impietatis apicem, ut cum spiritu ecclesiastico ipsam etiam Catholicam fidem haud ambigant abjurare. Sed neque expenderunt hi connubiorum sacerdotalium patroni, quantam in longe maxima fidelis populi Catholici parte faceret impressionem, quantopere minuere deberet fiduciam parochianorum, relate cumprimis ad sacrum Poenitentiae tribunal, si uxore et prolibus circumdatos viderent Pastores suos, quos antehac in conformitate consilii evangelici, sub continentiae lege, aeternis ac spiritualibus populorum finibus inservientes conspexerant. Non expendunt porro, ecclesiasticum statum pene ubique jam possessionibus suis temporalibus exutum, apud nos etiam his recentissimis eventibus, perquam in suis restringi reditibus, ea quoque bonorum temporalium possessoria, eosque fundos, qui clero curato magna in parte necessaria suppeditabant vitae degendae subsidia, sic esse accisos, ut justus omnino metus sit, ne sors sacrorum Curionum tenuior adhuc, quam adusque fuerit, reddatur; ipsorum itaque Ecclesiasticorum sortem per uxoris et prolium onus, magis adhuc fore aggravandam, imo ad intolerabilem plane egestatem, cujus speciem non raro uxorati apud alias Confessiones Clerici exhibent, fore reducendam. Somniant illi quidem de opima aliqua sui ex fundo status publico dotatione; sed non adtendunt experientiae, certissimae vitae magistrae vocem, quae indubitanter docet, apud omnes nationes, ubi Status publicus Cleri, Ecclesiaeque bona occupavit, haec in auras quodammodo evanuisse, Clerumque omnis ordinis, cum maxima colluctari paupertate. Non is est hujus temporis genius, ut Clerus a Status civilis, saeculariumque hominum liberalitate multa sibi possit polliceri; et satis illic felix est, ubi legitimam suam, indubiamque tueri adhuc potest proprietatem. Sed non est etiam consultum, hac praesertim tem-

Digitized by Google

poris iniquitate, dependentem reddere subsistentiam Cleri a statu politico; proptereaque eo potius enituntur omnes vere catholico spiritu animati, ut Ecclesiae suae, hac etiam in parte, constet libertas, neque ea ab arbitrio saecularis potestatis dependeat. Quod porro dicunt, Clerum coelibem non posse genuino patriae amore, veroque promovendae communis prosperitatis zelo animari; prorsus a vero est alienum, et omnium temporum, omniumque nationum experientia refutatum. Haec enim docet, et consentiens est sapientium omnium, nec paucorum ex ipsis etiam Protestantibus, sententia: recte coelibem catholicum Clerum maximum semper exeruisse patrioticum spiritum, immortaliaque de temporaneis etiam patriae commodis promovendis sibi merita comparavisse; cujus rei vivum Anglia praebet exemplum, institutaque, inter ejus, dum adhuc catholicus et coelebs fuisset, cum moderno protestantico et uxorato Clero comparatio. Denique ea vivimus tempora, Fratres, Filiique dilectissimi, ut equidem existimem, Clerum etiam si uxoratus foret, de amplectendo coelibali statu debere cogitare potius, quam de hoc in matrimonialem transformando. Quippe morum dissolutio, caetera quae religionis rem, sacrosanctumque fidei depositum undique circumdant mala, adeo ingravescunt, ut debellatio eorum, omnem nostram virium deposcat contentionem, neque dividi nos oporteat inter Deum et uxorem, sed paratos esse potius, exemplo Apostolorum, ad huic renunciandum, etsi talis praesto esset; ut tanto liberius atque adeo toto corde vacare possimus ministerio verbi, et operandae aeternae saluti animarum, manibus nostris creditarum.

Non minus falsa sunt atque incongrua, quae liberalis, ut se libenter hoc nomine compellari audiunt, genii Sacerdotes, quoad formam regiminis ecclesiastici, subordinationem item et obedientiam, Praelatis debitam, comminiscuntur. Auctoritas Episcoporum non ex fidelium delegatione,

Digitized by Google

neque ab ulla humana, sed ex ipsius Salvatoris nostri, Apostolos, successoresque eorum clavibus Regni coelestis, et potestate dimittendi ac retinendi peccata, benigne providentis, institutione promanat. Institutio haec Ecclesiae sanctae coaeva est, essentialis, immutabilis; cunctis humanarum societatum ac statuum formis, seu haec monarchica sit, seu aristocratica, seu quaecunque alia, etiamsi democratica, apprime conveniens. Ea proinde, velut divinae auctoritati, et non volubilibus humani ingenii placitis innixa, integra permanere debet et inconcussa, quaecunque demum emergant civilium consociationum, et legum politicarum innovationes. Et frugi quisque, ac Ecclesiae suae spiritu penetratus Sacerdos catholicus, id potius debet ex intimis praecordiis anhelare, ut humanae leges divino, illique semet conformare studeant instituto, quod est fundatum supra firmam petram, quod tot divinae exhibet sapientiae stigmata, quod solis instar illuminat coecutientis humani igenii tenebras, quod inde a bismille prope annis unica fuit, estque in medio tempestatum omnis generis, salutis tabula, unicus portus, in quo requiescere possit mens humana, opinionum et passionum aestibus exagitata. Sed videlicet Sacerdos, qui doctis magis delectatur fabulis, quam effatis Salvatoris, facile in tales incidit mentis aberrationes; in Sacerdote, suo confidente ingeniolo, et discere detrectante sapientiam ab eo, qui mitis fuit, et humilis corde, quive obedientia magis delectatur quam sacrificio, sensim evanescit spiritus ille bonus, qui ducit ad veritatis agnitionem aeque, ac sapientiam veram, veramque animi tranquillitatem. Qui non spiritualia, sed mundana quaerit solatia, aut plane inordinatae vitae deditus, temeratam gerit conscientiam, ipsamque rem suam familiarem ineluctabilibus intricat perplexitatibus, facile in similibus commentis sua collocat refugia; sperans hoc pacto se exemptum futurum a legitimae suae superioritatis auctoritate, independentiae auram posse plenis suctibus haurire,

Digitized by Google

amplius etiam peccaminosis passionibus suis fraena laxare, ac tegere, vel detergere vitae suae maculas. Nec mirum, si tales abjecta venerabili status sacerdotalis veste, saeculares in habitu et incessu, in capillorum conformatione, inque omni conversatione sua, quaerant vanitates; non mirum, si fastidiant manna coeleste, et respiciant post ollas Aegypti carneas; si absolutam quidvis, quod juventus saecularis sibi indulget, agendi, irrestrictamque cum saecularibus, pro ipsis adeo Seminarii alumnis, conversandi praetendant facultatem; falsos prorsus de educatione juventutis, imprimis ecclesiasticae, foventes conceptus, aut potius petulanter insultantes disciplinae salutari. Denique nil mirum, si Ecclesiastici idgenus, adeo evanescant in cogitationibus suis, ut plus sibi sapere videantur, quam sapuerint, sapiantque omnium aerae christianae saeculorum doctissimi ac sanctissimi viri, plusque fidant immaturis suis visionibus, quam experientiae omnium pene locorum ac temporum. Sacerdos viva fide praeditus, et sublimitatem vocationis suae persentiscens in corde suo, nunquam gravem sibi reputat subordinationem et obedientiam Praelato suo debitam, nec omnino seu pertimescit auctoritatem ejus, seu causatur tyrannidem; sciens, se patrem in eo, non dominum nactum esse; praesertim cum regimen Episcopale mite, ac justo plus indulgens potius, quam nimis severum semper fuerit reputatum; sciens etiam, quod vix acerbius quidquam Praesulis cordi possit accidere, quam si in discolos, et a recto tramite recedentes Clericos acrius debeat animadvertere. Oppido denique falluntur, qui existimant, Sacerdotes tum primum apud saeculares amorem, et venerationem reperturos, si uxores duxerint, si venerandam sui ordinis vestem abjecerint, si mundanas fuerint vanitates consectati, si, in genere, saeculi spiritum, geniumque induerint. Erroneae opinioni huic ipsa communis experientia contradicit: nam corruptissimis etiam temporibus, idgenus vanitatum consectatores Clerici, contemptui et abominationi

Digitized by Google

fuerunt bonis omnibus; contra viri literarum, praesertim sacratiorum, studiis debite exculti, pietate in Deum, modestia, gravitate, caeteris virtutibus praediti, adcurati legum et disciplinae ecclesiasticae observatores, conscientiae teneritudinem in omni conversatione sua praeseferentes, communi et hodiedum perfruuntur aestimio, et affectu. Ipsi etiam liberalium idmodi principiorum patroni saeculares, etiamsi talia verbis quandoque laudent, in intimis tamen cordis sui penetralibus despiciunt, detestanturque Religionis et sacrorum ministrum, auram saecularem, mundanasque levitates, quae passim temeratis junctae sunt moribus, et integro scandalorum agmini occasionem praebent ac fomentum, consectantem.

Sed haec hactenus; quae non eo tendunt, Fratres, Filiique dilectissimi, ut non existimem esse, apud nos etiam, plura quae mutari possint in melius, et medelam admittant, imo deposcant; quo potissimum pertinet Cleri, praesertim Curati, portantis pondus diei et aestus, melior, magisque conveniens provisio. Hanc ego anhelis semper desiderabam votis; ad hanc vires, ac operam meam conferre, quoad tantum potero, certo non intermittam. Ea etiam, quae ad morum et disciplinae rationes pertinent, non exigua sui parte, revisionem, et reformationem deposcunt, ac seria medela indigent. Sunt hujusmodi et alia; sed vero haec cuncta fieri debent modo, ac ordine suo; fieri debent salvis principiis, salvoque systemate Ecclesiae Catholicae, fine cumprimis rem religionis et christianae probitatis promovendi; fieri denique debent, non in oppositione cum Praesulibus, sed in spiritu sincerae erga ipsos adhaesionis, filialisque fiduciae. Neque omnino negligam Vos in Synodum dioecesanam convocare, in medium de his consulturos, utprimum publica patriae adjuncta congressum idmodi cum fructu institui permiserint, cui quidem dioecesano

Digitized by Google

conventui districtuales consultationes, quarum materiam suppeditare non morabor, praemittentur.

Confido, Fratres, Filiique dilectissimi, haec mea sensa grata vobis, rataque futura, Vosque non obstante isto paucorum e medio Vestri a sana, rectaque cogitandi, et sentiendi ratione deflectentium, tristi exemplo, in communione fidei et charitatis cum vestro legitimo Praesule perseveraturos sic, ut junctis cum eo humeris, exercitum firmum ac insuperabilem constituatis, in defensionem civitatis sanctae Jerusalem, unumque cum eo, et per eum, cum universa, per orbem terrarum dispersa Ecclesia Catholica, corpus efficiatis; contra quod nec portae inferi possint praevalere. Confido vos arduis his temporum adjunctis, quibus Ecclesiae sanctae, avitae fidei, morum christianorum innocentiae tam gravia impendent pericula, non de laxandis sensualitati fraenis, sed potius de mediis defendendae, confirmandaeque doctrinae, per Salvatorem nobis de coelo adlatae, reformandis moribus, incendendi in vobismet ipsis vocationis zeli, et removendis cunctis, quae fidelium animos offendere possent, obstaculis, cogitaturos. Confido Vos obedientiam, Praelato sponte ac solenniter, occasione factae Vobis manuum impositionis promissam, nequaquam intolerabilis instar jugi consideraturos, sed potius ut vinculum pacis et ordinis, ut ducatum, qui vos paterne dirigat in executione pastoralis vestri muneris, expeditioremque vobis reddat viam operandae et propriae, et aliorum salutis. Confido vos plane perspecturos, in ipsa temporali sorte vestra emendanda, sic tantum Vos feliciter posse operari, si studia vestra, Praesulis vestri conatibus conjunxeritis; secus dispergendi in partes, et cessuri in praedam iis, qui nunc vos incendunt contra superiores vestros, ut sic segregatos certius possint consumere. Denique confido, vos sensa haec vestra, data opportunitate, palam etiam enunciaturos, ac sic honorem status vestri, immaturis istis nonnullorum demonstratio-

Digitized by Google

nibus non leviter laesum, reparaturos; quemadmodum nuper fecit Clerus Districtus Gradiscani, cujus declarationem, cordato et catholico sacerdotio dignam, praesentibus in aliquot exemplis adjiciendam disposui. Ac utinam quidem et isti inconsiderati novationum auctores, suum agnoscant errorem; agnoscant: innumeros etiam saeculares, Catholicae fidei et Ecclesiae placitis sincere adhaerentes, nec solum intra Dioecesis nostrae, aut Patriae limites, sed et exteros, graviter his ipsorum moliminibus esse offensos, seque ad tollendam de medio scandali petram, in conscientia sua esse obligatos; utinam mox revertantur ad eam semitam, quae sola eos deducere potest ad veram prosperitatis scaturiginem. Quod quidem si fecerint, amanter excipientur paternis brachiis Praesulis sui, non cessantis diligere eos in visceribus Jesu Christi; sin perseverandum in devia sua contentione existimaverint, ea quae muneris mei Episcopalis ratio deposcet, agere, invitus licet cogar: sic enim sum, semperque ero animatus: ut malim degeneres ab ipso altaris removere ministerio, quam committere, ut creditum manibus meis depositum fidei, unitatis, et catholici systematis integritas, aut puritas quaqua ratione violetur.

Haec sunt, quae in praevio merito Vobis, Fratres, Filiique dilectissimi, paterna cum fiducia censui manifestanda. Caetera, haud rem ingratam me Vobis praestiturum existimavi, si de tribus illis vocabulis, quae nunc per omnia pene resonant ora, quaeve tantum in omnes correlationes nostras, et sacras, et profanas, exerunt influxum, meum Vobis sensum, hac usus opportunitate, paucis aperuero. Intelligo *libertatem*, *aequalitatem*, *fraternitatem*. Sancta haec sunt, et dignitati humanae prorsus consona, quaeve si sano sensu sumantur, plurimum conducere possint, ad mortalium prosperitatem. Immo dicere cum veritate possumus; dona genuinae libertatis, aequalitatis, fraternitatis jam per ipsum Salvatorem, et consummatorem fidei nostrae,

Digitized by Google

Modum epistolae excedere deberem, si cuncta vellem recensere, quae in dicto protocollo erronea sunt, et genuinis de Ecclesiae Catholicae spiritu, et disciplina conceptibus adversa; cuncta clericali modestiae, et reverentiae erga legitimam, nec ullis humanis placitis, sed divina authoritate constitutam, superioritatem ecclesiasticam debitae, contraria; cuncta denique indecore et sine verecundia, imo procaciter, ac praesumptose prolata. Responsum ad haec sufficiens habent Dominationes Vestrae in encyclicis meis literis, haud dudum, quippe sub 20. Junii a. c. editis; ut adeo ad has provocasse hic loci suffecerit. Quo tamen uberius cognoscant Sacerdotes Districtus Stubicensis quae sit hac in parte mens virorum, scientia sanctorum debite imbutorum, et genuino vocationis sacri ministerii sensu animatorum; elucubrationem intuitu ejusdem protocolli, per nonnullos hujates Sacerdotes recentissime adornatam, et ope typi publici juris factam isthic submitto pttltae D. Vestrae, eo exemplorum numero, ut singuli in Districtu Parochi et Cooperatores ex

Digitized by Google

iis possint participare. Ex hujus dissertatiunculae tenoribus quivis, in quo ingenii lumen, passionum violentia necdum extinctum est, aut plane in tenebras immutatum, perspicere poterit; se dum periculosa illa adoptavit principia, non lucem illam, quae illuminat universum mundum, Christum videlicet Salvatorem, omnisque veritatis fontem, sed fatuos hallucinantis humani ingenii ignes, per quos tot obcoecati misere contabuerunt, fuisse consectatum; non illum ingressum esse tramitem, quem aperuit nobis Ecclesia sancta Catholica, illa supra petram fundata columna veritatis; sed quem corrupta humana natura, et genius mundi, variis illiciis inculcat sectatoribus suis.

Quamvis autem ad recensenda, refellendaque singula, quae in isto protocollo occurrunt erronea et reprobanda digredi, ut praemiseram, modo nolim: intermittere tamen non possum, quin paucis memorem, quae peculiari quodam modo, meam in hac re excitarunt attentionem, gravemque in paterno meo animo resensum provocarunt.

Nimirum non poterat non mihi, et cordato cuiquam, non dicam Sacerdoti, sed et saeculari viro catholico, tristem incutere sensationem, quod eo recte loco hujusmodi agitentur consilia, a vero Catholicismi spiritu aliena, qui per totum Dioeceseos, immo patriae ambitum, teneriori pietatis et devotionis sensui excitando alendoque, peculiari prorsus ratione est destinatus; quod illic recte tam inimicus virginali Sacerdotum statui se exerat nisus, ubi virgo virginum a saeculis colitur innumerabilis populi confluxu; quod illic tanta semet pandat reverentiae et obedientiae, legitimae superioritati Ecclesiasticae debitae laxatio, tantus humilitatis defectus, ubi beatissimae illius matris Salvatoris nostri, quae his cumprimis virtutum generibus supra omnem creaturam semet distinxerat, sanctuarium est constitutum; quod recte viros, hujus sanctuarii servitio mancipatos, mundanus ille occupet spiritus, qui tam procul abfuit ab animo, a corde, omnique

Digitized by Google

vitae ratione sanctae illius virginis, cujus anima jugiter magnificabat Dominum, et cujus spiritus exultabat in Deo salutari suo; quod denique illud recte sacerdotium hujusmodi periculosis et reprobandis imbutum sit principiis, quod dirigendis fidelium, ingenti numero ad gratiarum fontem illic confluentium conscientiis est praepositum, et cujus sanctissimae vocationis esset vivam fidem, illibatae castimoniae et tenerae pietatis, omniumque virtutum christianarum sensa in hominum cordibus stabilire, exemplo non minus ac verbo suo confovere.

Graviter porro affecit animum meum, quod et ordinarius Districtus ejatis Vice Archidiaconus, vir Abbatis insuper charactere insignitus, et Vestra quoque Dnatio, substituti Vice-archni munere fungens, rem cum caeteris curae suae crediti Districtus Sacerdotibus communem agere haud pensi duxerint; quod eo magis est reprobandum, quod ex ipsa dignitatis personae, et officii ratione, non minimus scandalo soleat cumulus accrescere. Et quantum quidem ad Abbatem Parochum; vehementer doleo, eum in extremo vitae suae stadio, hoc suo facto, et conscientiae suae haud levem incussisse aculeum, et existimationi suae gravem omnino umbram offudisse. Excusari tamen ille aliquatenus potest ea, quae grandem idgenus senectam comitari solet, quaque facile abuti possunt alii, debilitate. Sed vero pttltae D. Vestrae nec haec exculpationis ratio opitulatur; ad cujus certe officii partes pertinebat, Episcopi sui in se locata fiducia ad rectificandos Condistrictualium suorum abnormes, in re tam gravi, conceptus uti, non autem abuti ad tales suo consensu roborandos; uti adhortatione, commonitioneque sua ad juniores in tramite recto conservandos, non vero abuti ad eos, ad deviam semitam conniventia, et cooperatione sua seducendos. Jam in Decretalibus Cap. 4. de officio Archipresbyterorum, quorum vicibus hodie funguntur V. Archidiaconi, praescribitur: ut *non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habi-*

Digitized by Google

tant, vitam jugi circumspectione custodiant, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renuncient, ac sicut Episcopus matrici Ecclesiae praeest; ita Archipresbyteri praesint plebibus, ut in nullo titubet Ecclesiastica sollicitudo; cuncta tamen referant ad Episcopum, nec aliquid contra ejus decretum ordinare praesumant. In sensu vero SS. Concilii Tridentini, et secundum praxim nunc quoque in Ecclesia passim vigentem, Vice Archni oculi sunt Episcoporum, propterea constituti, ut in intima cum iis communione, cuncta, quae ad religionis et pietatis Christianae rationes adtinent, vigilanter observent; sementem bonam foveant; zizania exstirpent; cuncta ad sublimem operandae salutis animarum finem dirigant. Nil itaque mirum, si illic offundatur corpus tenebris, ubi oculi suam amittunt simplicitatem; nil mirum, si apud Cooperatores, aliosque juniores sacerdotes, et salutaris disciplinae rigor laxetur, et principia invalescant faventia carni et sangvini, ac superbiae vitae, ubi praepositi tam procul absunt a vero Catholicitatis spiritu: immo nil mirum, si in tali fraternitate ii etiam, qui initio melius sentiebant, corrumpantur, et loco spiritus Christi, mundana sapientia, et somniatae cujusdam, utque recepto saeculi vocabulo utar, radicalis reformationis orexis in Clero invalescat. Actum est in tali Sacerdotum coetu de beata illa expleti muneris conscientia, de interna illa pace, quae exsuperat omnem sensum, de gaudio illo spiritus, in quo ministerii nostrii gloria potissimum sita est; actum de spe mercedis magnae nimis in vita beatiore; sed actum etiam de temporali Sacerdotii honore et prosperitate: qui enim vel aliquid sapit, supra quam carnalibus videri potest oculis, agnoscat necesse est, hanc intimo esse nexu junctam intemerato sacerdotii vitae exemplo, devoto, pioque ejus spiritui, ac genuino sensui ecclesiastico, ab immaturo novationum studio aeque, ac rerum mundanarum consectatione remoto. Docet hoc sana ratio, sed docet praesertim

Digitized by Google

experientia omnium pene temporum, et nationum. Neque respici hac in parte debet ad leves illos, et variis affectibus agitatos, suisque potius, quam publicis religionis finibus intentos homines, quorum sat ferax est tempus nostrum; qui tamen et ipsi in interiori cordis sui recessu, leves idgenus, et in mundanas auras evanescentes Sacerdotes saepe contemnunt, vilipendunt. Respiciendum potius est ad viros bonos, pietatis sensu aestuantes; ad populum fidelem, sincere adhucdum religionis Catholicae principiis adhaerentem.

Et si exempla ex aliis sunt desumenda, non deficiunt talia, his etiam calamitosis temporibus nostris, modo delectus fiat maturo judicio, et bona voluntate. Sic praeclarum sibi sumere exemplum potuissent DD. Vestrae ex Clero gallicano, qui tantum recentissime erga rem sacram religionis monstravit zelum, tantamque erga Praesulem suum, Archi-Episcopum Parisinum, adhaesionem et pietatem, ut dum hic plumbea impiorum hominum glande percussus, in publica platea, qua charitatis zelique sui victima cecidisset, universus, ad justa ei funebria persolvenda congregatus Clerus, id vero est, mille et quod superest Sacerdotes, positis ad exanime Archi-Episcopi cadaver dextrae digitis, solemni semet voto obstrinxerint: se sublimi Praesulis sui exemplo instituros, omnesque suas vires promovendae gloriae Dei, ac operandae saluti animarum sacraturos. Talia sane exempla digna sunt aemulatione et imitatione, sed non qualia Clerus Districtus Stubicensis sibi desumenda putavit, quippe ex miseris istis ac obscuris, quorundam immaturi judicii, nec probatae satis conversationis juvenum sacerdotum ausibus, scriptisque, ad quae eundem non pudet provocare.

Haec sunt, quae praecipue hac in re affecerunt animum meum. Sed quemadmodum raro in rebus humanis accidit quidquam, quod tam sit absolute malum, ut non aliqua etiam bona habeat consectaria: in hac quoque Districtus Stubicensis declaratione id inest utilitatis, quod mihi Con-

Digitized by Google

sistorioque meo suppeditatus sit campus, uberius cognoscendi spiritum Sacerdotum ejusdem Districtus; quae notitia, ubi de supplendis vacantibus beneficiis, aliisque quaestionibus in emolumentum religionis, debiteque constituendam curam animarum decidendis, actum fuerit, non exiguae esse poterit utilitatis. Necesse est, ipse dicebat Salvator, ut veniant scandala; et bonum est, quandoque manifesta fieri, quae studiose velabantur abscondita cordium, et interiora mentium.

Porro confido in Domino, quod haec Cleri Districtus Stubicensis declaratio tam parum irritatura sit alios ad eandem terendam semitam, ut potius eos etiam, qui in idgenus novationes propendebant, sit attentos reditura, et in viam rectam retractura: vix enim possibile est, ut vel aliqua judicii maturitate praeditus, et ecclesiastico spiritu animatus sacerdos, praecoces hujusmodi sciolitatis, mundanique spiritus fructus non aversetur.

Sed nec de omnibus Districtus Stubicensis Sacerdotibus possum mihi persvadere, eos reapse intus in animo adoptasse principia illa, quibus haec innititur declaratio. Quippe sicut nonnulli ei, ut jam altius attigi, subscripserunt ex praepostero erga alios complacentiae studio: sic sunt indubie, qui nondum maturo excusserint consilio, quid proprie subsit iis, quove ducant ea, quae subscripserunt? De his fiducialiter mihi policeor, eos cognita rei vera ratione, cognitoque Episcopi sui eatenus sensu, ad ea quae vocationis suae sanctimonia, obedientiae Praelato debitae ratio, verusque catholicae unitatis genius deposcit, reversuros. Immo cum non sit abbreviata manus Domini: necdum spem omnem pono, eos etiam ipsos, qui se caeteris hac in parte ductores praebuerunt, ad cor redituros, et datum aliis scandalum ocius reparaturos. Caeterum quocunque res ceciderit id sciant Dnationes Vestrae, me lubenter quidem, ut jam in memoratis encyclicis meis declaravi, praestiturum omnia, quae seu ad emendandam Cleri praesertim curati, sortem,

Digitized by Google

seu ad salubres, exque rerum ac temporum indigentia necessarias reformationes conferre potuero; una tamen elaboraturum, ut tantopere laxata in parte Cleri disciplina, cujus quidem laxationis protocollum hoc Bistricense novum, idque insigne praebet documentum, restabiliatur; nec quousque me in Episcopali cathedra tolerare divinae visum fuerit providentiae, ex iis, quibus ex altiori institutione, neque ulla seu subordinati mihi Cleri, seu cujuscunque humanae potestatis delegatione, sed auctoritate Jesu Christi Salvatoris nostri, ac Spiritus Sancti, qui ponit Episcopos regere Ecclesiam Dei, virtute instructus sum, juribus, vel latum ungvem cessurum, semperque paterna imprimis mansvetudine et charitate, sed si necessum fuerit, justa etiam e sensu sacrorum Canonum severitate usurum; nec unquam concessurum, ut systema regiminis sacri et Ecclesiae Catholicae spiritus inviolabili communionis cum Ecclesiae capite cumque corpore Episcopatus servandae, atque adeo unitatis principio innixus, in Dioecesi mea violetur. Sic enim mihi persvadeo: multo esse praestabilius, ut dissentientes ab hoc unitatis et systematis vinculo, ab Altaris potius ministerio, arceantur; immo et ex gremio Ecclesiae recedant; quam ut heterogeneis idmodi elementis deturpetur sponsa illa immaculata, quae manere in fines usque saeculorum debet, quantum cunque materialibus restringatur spatiis; manere inquam debet in illa puritate sua, quae ejus constituit elementum, roburque, ipsis inferorum portis formidabile.

Rogabo interim Dominum, ut det Vobis assistricem sedium suarum sapientiam, illam videlicet sapientiam, *cujus acquisitio*, teste Spiritu S. *melior est negotiatione auri et argenti, quae pretiosior est cunctis opibus, et cui non valent comparari omnia, quae desiderantur; inextingvibile est enim lumen illius;* sapientiam inquam, quacum *veniunt* homini *omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius;* ab illa vero sapientia custodiat intelligentias

Digitized by Google

Vestras, quam scriptura *mortem*, *nequitiam disciplinae*, et *carnis prudentiam* appellat, quam dicit *inimicam Deo; legi Dei haud subjectam.* Orabo porro Dominum, ut *abundare Vos faciat in fide, et sermone et scientia, et omni sollicitudine; nam arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes, omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Denique orabimus: ut ne umquam amplius contristari per Vos contingat *Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis; utve charitas Vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu; ut probetis potiora, ut sitis sine offensione in diem Christi, repleti fructu justitiae per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei.*

Committo autem pttltae D. Vestrae ut has meas literas per Districtum sic publicari provideat, ut ad singulorum Parochorum aeque, ac Cooperatorum perfectam notitiam perveniant, singulisque Parochiarum Protocollis per extensum inserantur; qui jugi cum benevolentia persisto Zagrabiae die 18. Augusti 1848

Georgius, *Episcopus m/p.*

Digitized by Google

MEMORATA AUTEM PROTOCOLLI STUBICENSIS REFUTATIO SIC SONAT:

EPICRISIS EORUM,

quae ad reformandam disciplinam ecclesiasticam districtus Stubicensis sacerdotum congregatio die 25. Maji 1848 servata proposuit, adornata a quibusdam dioecesis Zagrabiensis sacerdotibus.

Nuper admodum prodivit in lucem folium typis impressum, et ad Consistorium dioecesanum Zagrabiense directum sub titulo „Zapisnik skupštine, koju je dèržalo Svetjenstvo Stubičkoga okružja u poslu vrěmenu shodnih proměnah discipline cerkvene etc. Seu: Protocollum Congregationis, quam districtus Stubicensis Sacerdotes servarunt in merito innovationum disciplinae ecclesiasticae tempori conformium. In hoc Protocollo legitur: Sacerdotes districtus Stubicensis classicum intonante aevi nostri spiritu, quem illi ceu fulminantem heroem supra omnes heroes (junak nad junaci) gigantea et mole et fortitudine praeditum, cunctis totius generis humani viribus insuperabilem animo effinxerunt, perculsos et excitatos fuisse, ut districtuali congregatione celebrata in commune consultaverint, quomodo cum hoc aevi spiritu harmoniam et amicitiam foveant, nequid detrimenti status eorum capiat, detrimento ducentes omne id, quidquid jucundi, et sensibus grati propi-

Digitized by Google

nante aevi spiritu non delibarent. Ut vero Congregatio rite instituereturr, praesidem sibi elegerunt Abbatem Bistricensem Joannem Krizmanić, virum octogenarium, utcunque jam in tumulum properantem, ingenii cultura, cognitionum amplitudine laudatum, cuius ut auctoritate niterentur, abusi sunt senectute. Is vero spiritum aevi ex eorum spiritu metitus delatam acceptavit provinciam. Itaque hoc Congregationem dirigente praesidio freti unanimiter consenserunt, censuerunt et concluserunt; reformationem universim, in specie vero in coordinatione Seminarii, in lege caelibatus, in deportatione togae clericalis relaxationem spiritu aevi imperiose postulari. Quod ne absque omni prorsus fundamento egisse videantur, duas in deliberando normas ceu totidem principia secuti sunt. Primo: reformationem disciplinae spiritui aevi accomodandam esse, dicunt enim: „Oportere mutabiles leges ecclesiasticas spiritui aevi attemperari, eumque esse sapientissimum, qui spiritum hunc cognoscit, et vocem ejus audit.“ Secundo: proclamationem ad Sacerdotes Zagrabiae in lucem editam, instar lapidis lydii in consultatione habendam esse, dicunt enim: Ne in tam amplo campo dispergeremur, pro consultationum norma assumpsimus proclamationem illam, quae ad Fratres sacerdotes directa non pridem Zagrabiae in lucem prodiit tanto promptius, quod posita ibi principia ratihabeamus et pro nostris recognoscamus. „Haec et ex his principiis acta sunt a quibus? A Sacerdotibus catholicis curae animarum addictis. Ubi? Bistricae in loco thaumaturgo, ad quem copiosissimus e vicinis provinciis populus, devotione erga Beatam Matrem incitatus quotannis confluit. Quo praeside? Abbate Krizmanić, sene depontano, indomitae morti proximo, qui jam serio cogitare deberet, non quomodo aevi spiritum, sed quomodo Christum instantem judicem demereatur. Quo tempore acta sunt? Eo tempore, quo sub recentissima rerum politicarum innovatione spiritus Croatarum et Slavonitarum totus stabiliendae

Digitized by Google

nationali felicitati intentus est, de uxoribus et togis Sacerdotum parum sollicitus demptis fortasse aliquibus hominibus, animo interessato ac inquieto, consilio imprudenti ideam istam propellentibus.

At enim nisi Sacerdotes districtus Stubicensis velint soli sapientes videri, aliorum quoque per mapalia latae dioecesis dispersorum Sacerdotum de suis tum principiis, tum postulatis sensa benevole audiant, oportet, ac utraque maturo judicio, animo a partium studiis alieno ponderent, et ad invicem comparent. Sic enim cum plures oculi plura videant, et contraria penes se posita clarius elucescant, ipsi luculentius cognoscent, an recta vel obliqua via incesserint? an non falsa spiritus aevi imagine ceu a spectro vel Vampiro quodam perterriti nubem pro Junone captaverint? num passione magis, quam ratione in deliberando ducti fuerint?

Quod ipsum ut eveniat, declarandum est: quid nos de principiis horum reformatorum Stubicensium, dein quid de specificis punctis reformationis sentiamus? Qua in re inprimis indagandum et constituendum: Utrum spiritus aevi quantuscunque sit, etsiamsi tantus, quantus Goliath cum Davide comparatus, pro principio reformandae disciplinae clericalis assumi possit? nec ne?

Nobis spiritus aevi non est myasma aëris, quod genus humanum una cum Sacerdotio necessaria contagione ineluctabiliter pervadere debeat: verum nomine spiritus aevi intelligimus principia hominibus certi aevi communiter propria, ad quae se omnis eorum cogitandi, sentiendi et agendi ratio exigit. Itaque pro spiritu aevi non habemus illa, quae novalium redactores plerumque proprii commodi studiosi, seu suppeditata a singularibus hominibus, seu marte suo procusa divulgant; secus enim cum novalistae frequenter sibi repugnent, necessarium foret adfirmare, tot esse in uno eodemque argumento unius ejusdemque aevi spiritus, quot sunt sententiae novalistarum, et tunc tandem nescies: quis sit verus aevi

Digitized by Google

spiritus. Neque pro spiritu aevi habemus, quod singulares homines etiam in publicis Conventibus ex abundantia cordis enunciant; secus enim dicendum foret: quod dogma de processione Spiritus S. ex patre filioque discussione ecclesiae indignum fuerit, quive hac occupabantur, pretiosum tempus perdiderint, quia et hoc in publico Conventu cum resensu Romanae et Graecae non unitae ecclesiae pronunciatum fuisse in novellis legimus. Neque pro spiritu aevi habemus commenta Philosophorum et aliorum scriptorum, quae non paucos legendi quidem gnaros, sed veritatem indagandi incapaces homines asseclas inveniunt, nam haec ad pluralitatem hominum nunquam penetrant. Sed vero nomine spiritus aevi illud elementum intelligimus, quod e certis aevi principiis evolutum communiter in hominibus vivit, et activitati morali incitamentum, mensuram ac vitam tribuit. Ita consideratus aevi spiritus teste historia vario tempore varius fuerat, interdum bonus, nonnunquam et malus. Immo unus idemque aevi spiritus diverso respectu acceptus in parte aliquid boni, in parte mali continere potest. Ut bonus aevi spiritus reformandae disciplinae clericali cynosurae instar inserviat, non est quod refragemur. Malum autem cuiuscunque aevi spiritum pro norma reformandae disciplinae clericalis assumi haud posse quisque perspicit, qui intelligit, e malis principiis nonnisi malas agendi regulas deduci posse. Itaque spiritum aevi examinare, numve bonus vel malus sit, e sana ethica christiana aestimare oportet. Illud vero, quod num bonum vel malum sit? aliunde dijudicari debet, pro principio stabiliri nequit. Patet ergo, quod spiritus aevi generatim pro principio reformandae disciplinae ecclesiasticae non possit assumi, immo potius ipse ad altius principium subsumi debeat. Libenter largimur, mutabilem ecclesiae disciplinam adjunctis temporum, locorum, et personarum, quae potissimum ineluctabilia a voluntate hominum non dependent, accomodandam esse: verum non haec adjuncta, sed principia hominum constituunt spiritum aevi.

Digitized by Google

Viri fratres! recordamini utique, quis fuerit tempore nati Salvatoris spiritus aevi. Quam favens concupiscentiis? quam sceleribus lenocinans! quam dignitatis humanae eversivus! Et putatisne, Christum ac Apostolos huic aevi spiritui praecepta sua moralia et disciplinaria accomodasse, ut ejus amici fierent? Quin potius impugnarunt illi qua voce, qua exemplo hunc spiritum aevi, flagella, carceres, tormenta, mortem ipsam nil veriti, immo haec omnia perpessi, ne spiritus aevi fierent amici. Tenetisne memoria, quis viguerit spiritus aevo illo, quo barbarae gentes Europam inundarunt? Quam caedium minax, quam ferox in crudelitate! quam ad depopulationes urbium, templorum eversiones, fidei virtutisque christianae exstirpationem velox! Quo vero modo Sacerdotes Christi huic barbarorum populorum spiritui obviarunt, dum populi hi victricia ubique circumferrent arma! Num amicitiam cum hoc aevi spiritu pepigerunt? Num inita harmonia eidem obsecundarunt? Num in gratiam ipsius disciplinam clericalem in Synodis relaxarunt? aut saltem togam, quam more romano tunc longam gestaverunt, ad exemplum debellatorum a barbaris laicorum, cum curta barbarorum veste permutarunt? Minime. Sed potius vocationis suae probe gnari scutum fidei spiritui aevi opposuerunt, nil veriti persecutiones, Evangelium cum vitae periculo barbaris annunciarunt, et zelo suo ac exemplo effecerunt, ut feroces mitescerent, infideles crederent, hostilesque religioni exercitus adorarent dominum exercituum. Infiniti essemus, si omnia exempla historica promere vellemus, quae innuunt: Sacerdotes Christi non fuisse coecos spiritus aevi adoratores, sed potius moderatores. Haec dicta sunto generatim de aevi spiritu.

Quod autem spiritum praesentis aevi attinet, malumus tantisper eum observare, quam cum omni praecisione definire. Alioquin id neque nobis necessarium est, cum ipsi districtus Stubicensis Sacerdotes eum hoc charactere insigniverint, quod ab aliquo tempore mundus incoeperit odisse, quidquid

Digitized by Google

est religiosum et spirituale. Etsi non sit negandum, in ipsa religione christiana dari aliquos indifferentes erga religionem, fortasse et osores religionis: tamen id, quod universim de mundo et spiritu aevi adfirmatur, nimium est. Viri fratres! quid ad haec dicent oves vestrae parochianae, quae etiam mundi particellam efficiunt, vestrasque ecclesias diebus festis sacrae rei causa bene magno numero implent? Quid ad haec dicent fideles illi, qui e remotis partibus, non attentis itineris molestiis, devotione erga Deiparam animati, quotannis in copia confluunt ad locum thaumaturgum, in quo vos Congregationem celebrastis? Quid ad haec dicent alii regnicolae nostri, imo exteri populi, qui ingentem istam, quam cernimus, rei politicae conversionem in Gallia Italiaque moliti, tantum abest, ut se religioni ex odio infestos exhibuerint, quin potius specimina dederint, reverentiam eorum erga religionem contestantia? Quid dicent hi, dum se tam probroso stigmate, quasi omne religiosum odio haberent, a vestra congregatione notari vel legerint, vel audiverint? Sed praeterea si reapse hoc aevo spiritus mundi talis foret, qualem vos designastis: quid enimvero, taline spiritui vos amicitiam ac harmoniam jurare vultis, ut cum illo in contradictione et oppositione vivere nolitis? taline spiritui exaequari, et disciplinam ecclesiasticam attemperari desideratis ita quidem, ut nulla re ceteris civibus seu meliores, seu pejores, sed per omnia aequales esse constitueritis? Et tandem si haec firma animum vestrum occupavit intentio, quid vos ad lucrandam spiritus aevi amicitiam facere oporteret? Nonne cum juxta vestrum conceptum mundus omne, quod spirituale est, odio habeat, et vos omnia spiritualia aversari, simul tamen patres populi spirituales perseverare deberetis? Nonne cum mundus sensu vestro omne religiosum aspernetur, vos quoque religionem si non ejurare, saltem in corde contemnere, simul tamen religionis ministri permanere deberetis? Et quis deinde credat, vos sincere cogitare, velle, et agere, dum puncto Protocolli primo

Digitized by Google

adfirmatis „ut Articuli fidei et morum in suo esse retineantur?“ Quae Deum bonum! ex hac vestra cogitandi ratione sequeretur religionis, et status ecclesiastici proditio atque eversio! Veremur sane, ne populus hac perspecta palam prodeat, vobisque partim commiseratione, partim indignatione commotus in faciem dicat: Pastores, duces nostri in religione! Vos mundum rebus religiosis et spiritualibus inimicum statuitis, et tamen velle vos mundo aequales ac amicos esse profitemini. Quid hoc est monstrosae rei, in qua et coecutis ipsi, et nos dementare pergitis? Ut Christiani ac Catholici sumus, talesque mori cupimus: ita enunciamus vobis, nolle nos spiritum hujus mundi accipere, sed spiritum, qui ex Deo est. 1. Cor. 2. Itaque obtestamur vos animarum nostrarum pastores: Aut tenete vitaque exprimite illud, quod s. Paulus ad Rom. 12. praecipit: Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens et perfecta: aut si id non vultis, tamquam perniciosi nobis, a ministerio sacro recedite. Si recusatis meliores esse mundo, et reliquis civibus et nobis ipsis: ite, non indigemus opera vestra, retrocedite ad seculum. Judicate hinc fratres, quanta laboret fallacia principium vestrum, ex quo tanta mala sequi est necesse, et concludite ipsi, an vos in deliberando passio magis quam ratio manuduxerit. Ita demum, oportet, ut eveniat Sacerdotio, quod falsum prophetam ad se venientem, suoque praesidi affinem audit, vocem autem populi, vocem episcopi sui negligit, quodve videtur sibi videre aliquem spiritum aevi in mundo, quem tamen in se gerit, et ex se in lucem emissum mundo violenter obtrudit.

Jam nunc nostram mentem cognoscite. Nos qui spiritum aevi observamus tantummodo, et necdum definire volumus, eam firmam tuemur sententiam: mundum christianum, si etiam nos Sacerdotes christianos odio haberet, non id facere ideo, quia ministerium sacrum implemus, et distinctam disci-

Digitized by Google

plinam, legibus ecclesiae sancitam habemus, verum ideo, quia ministerium nostrum fortasse minus exacte obimus, et seu ex fragilitate, seu cordis perversitate in disciplina, et vetustis constitutionibus ecclesiae remissi sumus. Unde legitima illatione adseveramus, spiritu aevi nostri postulari a nobis; ut viam mandatorum divinorum alacrius curramus, ut voluntate in lege Domini defixa in eadem lege meditemur die ac nocte, ut vetustarum sapientissimo ecclesiae consilio latarum Constitutionum fideles custodes, ardentes mundi lucernae, et bonum terrae sal effecti, probemus nos esse, quod ex vocatione nostra esse debemus. Hoc cum omni tempore, tum istò praecipue aevo, quod suffragante preli libertate defectus (utinam non interdum ementitos) in lucem profert, facere urgemur.

Alterum non tam principium, quam directivum concentrationis vehiculum, quo Sacerdotes districtus Stubicensis in reformanda disciplina ecclesiastica nitebantur, ne consultando in partes dissilirent, est Proclamatio Encyclicae instar ad Clerum dioecesanum directa et transmissa, quae incipit „Gospodo Svetjenici! Velikodušnim, id est: Domini Sacerdotes! Magnanimo etc.“ Scriptum hoc abunde manifestat auctorum, a quibus prodivit, maximam in ethica Christiana ruditatem, erroneos circa educationem juventutis praecipue ecclesiasticae conceptus, animumque statu suo male contentum, seculi voluptatibus efflicte inhiantem, ad omnem disciplinam evertendam, aliosque tum concitandos, tum seducendos comparatum. Non est nostrum omnia scripti hujus proclamatorii puncta ad crisim revocare, aliqua saltem exhibebimus, unde de reliquis judicare liceat.

Abnegationem sui ipsius, quatenus ea propensionem ad jucunda, aversionem a molestiis refroenat, ex amore Dei, etsiamsi nullum inde in proximum commodum redundet, prompte subeundam esse Christus Dominus et Apostoli praeceperunt. Aeterna veritas Christus apud Lucam 23. dicebat

Digitized by Google

ad omnes. „Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat.“ Et Paulus Apostolus ad Galatas 5. ait: „Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.“ At enim auctores Pseudo bullae „Velikodušnim“ novi hi seculo 19. moralis christianae magistri contradicunt. Scribunt enim ad Parochos: „Omnis, qui tota vita sua portat grave jugum, svavissimis deliciis, maximis voluptatibus, et felicitantibus nos sensationibus renunciavit, et per id nulli profuit, adpellandus est stultus.“ Deum immortalem! est ne virtutis christianae unicus elator commodum proximi? Possentne ita hallucinari probi laici, quid dicam Sacerdotes catholici? O Corydon, Corydon quae te dementia caepit!

Natura correlationis inter praepositos et subordinatos obligationem promptae ac hilaris omnibus justis praeceptis obedientiae subordinatis imponit. Idem s. Paulus inculcat ad Ephes. 6. „Obedite in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate.“ Et Petrus 1. Cap. 5. ait: „Adolescentes subditi estote senioribus.“ Verum enimvero istam obedientiam nequidem in ipsis Seminariis Clericorum tolerant novi hi disciplinae clericalis reformatores, quia eorum opinione libertatis spiritum exstingveret, et simulationi hypocriticae ansam praeberet. Dicunt enim: „Ibi (in Seminario) requirunt a te obedientiam, ut primam virtutem, quo fit, ut exstinguatur in te omnis libertatis spiritus, utque mature adsvescas abnegare animi tui convictionem.“ Ecce quam procul induxit istos sentiendi et quidvis scribillandi ineptia! Non credimus, eos esse adeo hebetes, ut nesciant, in omni societate inaequali, tanto magis in Instituto Juventutis educatorio obedientiam erga leges, legumque vindices sive Superiores necessariam esse. Non credimus, eos ignorare: educationis finem obtineri non posse, nisi educandi

Digitized by Google

voluntati educatorum per obedientiam sese submittant. Qui ergo tam crasse non aio errare, sed insanire poterant? Quod aliqui Clerici ad placendum Superioribus, palpumque de sua vocatione obtrudendum se simulent, non est utique vitium obedientiae, sed subdolae Clericorum indoli tribuendum. Et quae, amabo, foret Seminarii facies sine obedientia clericorum erga Superiores? quam abnormis! quam degener a scopo suo! Quis tum Superior esse vellet, nisi desperatus disordinis patronus, aut hi, qui multum contra obedientiam somniant, multum scribillant, nihil tamen excoquunt?

Quae porro contra clausuram Seminarii, ob quam Clericos mancipiis comparant, contra doctrinam de fuga mundi Clericis proponi solitam, quasi per eam cognitio mundi impediretur, contra externas formalitates, ad quas ceu nulli utiles Clerici adstringerentur, Novatores declamarunt: haec talia sunt, quae demonstrant, reformatores istos et vocationem status ecclesiastici, et finem Seminariorum, et indolem juvenilis Clericorum aetatis, maioribus repagulis contra occasiones peccandi pravaque consortia muniendae, et ipsam naturam hominis tum ad sensum internum externa formalitate manifestandum pronam, tum eadem externa formalitate aedificari ac perfici indigam ex oculis penitus dimisisse immemores, quod et Christus Apostolos in mundum universum ablegaverit, nihilominus, ne de mundo essent, iis inculcaverit. Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret. „Sed demum auctores Scripti „Velikodušnim“ parte ab una dogmata religionis nostrae, quae sunt fidei et morum, inconcussa servari volunt: parte ab alia abnegationem sui ipsius, ac obedientiam praepositis debitam, (res oppido morum a Christo traditas,) impugnant. Quae Logica! quae contradictio! Unde fas est fundate suspicari, memorati scripti proclamatorii auctores non esse Sacerdotes, theologia vel obiter imbutos, verum aliquos semiprofanos, in evangeliis ac essentialibus catholicismi elementis peregrinos, qui quidem emolu-

Digitized by Google

menta status ecclesiastici experiri, onera autem ferre nollent, unum pedem in Refectorio Seminarii ad opiparum victum imperiose praetendendum, alium in quibuslibet seculi deliciis ac voluptatibus non tam ad noscendas quam perpetrandas iniquitates ponere desiderarent.

Satis dictum esto de Scripti „Velikodušnim" insulso argumento. Ad vos iterum, fratres districtus Stubicensis Sacerdotes nostra redit oratio. Talene Scriptum, quale hucusque discussimus, pro concentrationis vestrae culmine, pro reformandae disciplinae clericalis norma vos assumpsistis? et omnia ejus puncta rati habuistis? et plane pro vestris recognovistis? Miramur equidem magnopere intempestivum vestrum consilium, in medio politicarum innovationum fervore disciplinam clericalem non in melius sed in deterius reformandi: verum longe magis miramur, obstupescimus, et cohorrescimus effectuandi hujus consilii tam futile subsidium, quale est Scriptum illud proclamatorium, tam ineptos, ut ejus auctores sunt, duces a vobis delectos esse. Quales speremus dimanaturas aquas ex hac feculenta scaturigine? Utinam potius hausissetis fratres de fontibus Salvatoris!

Videamus tamen, quae sint praecipua postulata vestra ad normas istas exacta.

Inprimis puncto Protocolli secundo poscitis Seminarii cleri junioris coordinationem. Dum proponitis: „Ut Clero juniori tales dentur superiores, qui sana educandae juventutis principia possident, qui amore et adhaesione juventutis pollent, qui necessariis dotibus instructi sint" dum haec proponitis, plene vobis adstipulamur, at una fatemur, nunquam Praesulibus nostris paternam in eo defuisse sollicitudinem, licet fortasse interdum decepti fuerint, quia non sunt in delectu individuorum infallibiles. Dum porro proponitis, ut numerus cleri junioris imminuatur, in hoc vos ferrea ex diminutione redituum ecclesiasticorum, item ex adjunctis Seminarii financialibus resultans necessitas praecucurrit, vix medietatem prae-

Digitized by Google

vigentis numeri admissura. Et utique parochi intendunt Cooperatores, ne iis mittantur, deprecari partim quod accissis reditibus eos alere nequeant, partim quod nihil boni rei christianae et suae domui sperent ab illis, qui recenter in Seminario constituti via facti omnem disciplinam excusserunt, clausuram Seminarii violarunt, Superiores deposuerunt, animum episcopo et statui suo inimicum (scitis quo incentore) coram laicis prodiderunt, auram denique secularem nimis distento pulmone hauserunt. — Dum clausuram denique Seminarii tamquam impedimentum culturae mundanae tolli, exitumque clericis ad domos ac familias seculares indulgeri praetenditis: ignoscite nobis, quod habita prae oculis materna, et quae in Scholis obtinetur, juventutis educatione, simul vero status nostri vocatione probe pensitata dicere debeamus „nescitis quid petatis." Norunt profecto potiori parte juniores clerici satis polite hominibus conversari, imo norunt prout S. Gregorius M. mundi Sapientiam describit, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, norunt aliqui feriis bachi in theatro domestico quamlibet personam dextre producere, immo ad novissimum numerum saltare. Culturam mundanam passim secum ad Seminarium adferunt, et qui ea carent, a sociis salva clausura discere possunt. Sed amabo qualis conversatio Clero cumprimis est necessaria? Nonne conversatio cum Scriptis Apostolorum et S. Patrum, cum Scientiis theologicis, cum literatura aevi ecclesiastica, et tandem, quod caput est, per pias preces familiaris cum Deo conversatio? His mediis scientia sanctorum acquiritur. Quare ergo ad domos et familias deberent exire, nisi forte ut pro casu abolendi caelibatus mature sibi sponsas conquirant?

Progrediminor ultro et puncto Protocolli 3. repartitionem bonorum ecclesiasticorum inter ministros ecclesiae magis aequam et proportionatam postulatis; seu quod idem est, cum pii fundatores certis dignitatibus et officiis haec bona conjunxerint, vultis; ut mentem fundatorum ad gustum eorum,

Digitized by Google

qui plus cupiunt quam habent, corrigamus. Verum tacete svademus, ne istam de dividenda Christi tunica contentionem audiat Pilatus, et diminutis utique reditibus crura litigantibus ita confringi curet, ut tandem vix supersit non solum, quod dividamus, sed etiam quod comedamus. Illud aliud vestrum desiderium, ut in parata congrua solvamur, refutat historica observatio, quod omnis fundus pecuniarius tandem exaruerit, et sacerdotes ex eo participantes ad oblata populi relegati fuerint, terra autem vel modico labore culta reddat panem.

Quae puncto 4. de meliore Cooperatorum solutione, de aedificanda ipsis separata a Parochis habitatione proponitis fratres, pia sunt desideria, quae extemplo evanescere oportet, si inquiramus: Unde haec fieri possent? Nodus iste Gordius: Unde? tam intricatus est, ut eum neque Dioeta Croatica, minus Synodus dioecesana facile possit dissecare.

Jus patronatus, quo in promotione ad beneficia ecclesiastica saepenumero indignos dignis praeferri conqueriminor, vel ex integro extingui, vel saltem in praesentatione ad Terno episcoporum restringi puncto Protocolli 5. praetendistis. At enim hic quoque nodus Gordius non minus pertinax occursat, nam ut patroni ecclesiarum, quorum maiores pietate in Deum et salvificam religionem ducti beneficia cum ecclesiis erexerunt ac dotarunt, sicque jus honorificum praesentandi personas idoneas ad vacantia beneficia, sanctionibus canonicis legibusque patriae firmatum acquisiverunt, ut hi patroni jure suo ita simpliciter inviti priventur, id equidem praeter quod synodi dioecesanae potestatem excederet, insuper injuriae atque ingratitudinis culpa haud vacaret. Deinde posita hac juris patronatus abolitione quis deinceps ecclesias reparabit, et novas eriget? An aerarium publicum? vel populus? Voletne hoc jus onerosum sine utili et honorifico tum suscipere, tum adimplere? Voletne hoc praesenti aevo, quo secundum vestram declarationem mundus omne, quod religiosum est, odit? Non ambigimus, proficuum fore patronos in praesen-

Digitized by Google

tatione ad Terno episcoporum limitari: verum una scimus, id quoque fieri non posse absque regis apostolici annutu, ne dicam ipsorum patronorum consensu. Ceterum audivimus, ab episcopis sub Corona Hungariae ad tollendum hoc gravamen congruos passus institui. Successus, quo rem peregerint, procul dubio et nobis suffragabitur. Demum quod abusus cum praesentatione connexos attinet, serio rem examinate, et comperietis, hos non tam patronis tribuendos esse, quam potius sacerdotibus, qui indigni indignis modis a jure canonico reprobatis beneficia competunt.

Rem longe momentosiorem aggressi estis, dum motivis unilateralibus freti contra caelibatum per secula in Sacerdotio Catholico vigentem puncto Protocolli 6. conclamastis: tollite, abolete eum, crucifigite. Vapulet hic philosophiae dualisticae partus, cesset impurus malorum effectuum et criminum fons, removeatur manifestum rei domesticae bene administrandae impedimentum.

Non est nobis propositum argumenta affere, quae legem caelibatus egregie tuentur, neque legis hujus originem evolvere volumus: illuc solum tendit omnis conatus noster, ut motiva vestra refellamus. Dicitis: „quod caelibatus e turbido fonte manaverit, quod in excoecata ratione humana radices habeat, quod e lacuna philosophiae dualisticae emerserit, qua primaevi christiani ebrii fuissent.“ Fratres, vos videmini tanta exarsisse uxores ducendi cupidine, ut cum statum caelibem excoecatae mentis et philosophiae dualisticae productum esse statuitis, luculenter ostendatis, vestram ipsorum mentem enormi passione in coecum imo fanaticum liberalismum degenerasse. An non Christus Dominus Matth. 19. v. 12. et 29. Caelibatum commendavit? An non Paulus Apostolus 1. Cor. 7 aiebat: „Bonum est homini mulierem non tangere, dico non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut et ego. Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit et qui non jungit, melius facit. Beatior erit si sic permanserit se-

Digitized by Google

cundum meum consilium, puto autem quod et ego spiritum Dei habeam.“ Huius consilii rationem assignat Paulus, ut nempe homo cor animumque Deum inter et conjugem nequaquam dividat, ait enim eodem capite. „Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est. „Huic Christi et Apostolorum doctrinae innixa universalis Ecclesia in Concilio Tridentino Sess. 24. Can. 10. de Sacram. Matrim. ut dogma morum infallibiliter definivit: „Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate ac caelibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.“ E quibus apparet, utrumque esse de fide videlicet, quod matrimonium bonum, sanctum, et ad dignitatem Sacramenti elevatum sit, item quod caelibatus perfectior sit matrimonio. Quaerimus nunc; profluxeruntne ista e mente excoecata, et philosophia dualistica, vel e caelesti sapientia? Putatisne Christum Deum, et Apostolum gentium et Ecclesiam universam excoecata ratione, simulque praejudiciis philosophiae dualisticae captos fuisse? Vel hoc (non sine blasphemia) statuatis oportet, vel verum non est, quod vos in evangeliis, in conciliis, in tota historia hospites asseverastis. Neque erant omnes in primaeva ecclesia christiani philosophiae dualisticae placitis ebrii. Illi vero, qui haec cum religione christiana miscebant Gnostici, errorum plerumque artifices, mox initio ab ecclesia damnati exstiterunt. Atqui dum ecclesia memor: Caelibatum matrimonio esse perfectiorem, memor: Sacerdotes N. Testamenti tam multiplicibus, tam arduis, tamque divinis officiis consecratos esse, ut gravitas eorum non divisum, sed integrum sibi deposcat hominem, dum nempe ecclesia motivis utriusque status intrinsecis, quod status caelebs sit perfectior, quod Sacerdotalis majore egeat perfectione, inducta utrumque statum simul copulari voluit, seu dum inde a tempori-

Digitized by Google

bus Apostolicis clericos caelibes exoptavit, et subin eundem caelibatum in Conciliis particularibus praescripsit: egitne e praejudiciis philosophiae dualisticae, quam in Cerintho aliisque Gnosticis semper condemnabat? dum ita egit, damnavitne per id cum dualistis ex odio materiae malae matrimonium bonum? vel potius bono melius praetulit? Frustra quoque estis, dum statum Monasticum e cunis philosophiae dualisticae ad usum pedum perductum esse scribitis. An non dabantur Ascetae christiani in primordiis ecclesiae? An non iis successerunt tempore persecutionis Decianae paulo immutati Anachoretae? An non ex iis reliqui Monachi pullularunt? Unde historia teste rite statuitur: Monachos Consiliis evangelicis et persecutionibus suam debere originem. Quae cum ita sint, possuntne Siricius, Gregorius 7. aliique Pontifices injusti dominatus accusari, qui Conciliorum particularium sancita pro universa ecclesia praescribebant? quem unquam coëgerunt illi ad ingrediendum statum ecclesiasticum? an non omnis, qui majoribus ordinibus initiatur, tanta est maturitate, ut et obligationem caelibatus cum statu clericali, et difficultatem cum obligatione conjunctam intelligat? an non quisque sponte et sciens ad ordinationem accedit? cur ergo obmurmuret legi, quam observandam ultronee suscipit?

Sed urgetis identidem: Caelibatus juxta literam non juxta Spiritum observatur. Ubi illa felix regio, in qua castitas per Caelibatum intenta custodiatur? Num directe Caelibatus non est pallium illud, sub quo maiori dissolutioni lata janua panditur? An non Caelibatus conplures honore, bona fama, valetudine et facultatibus exuit? prudenterne agitur, dum idmodi lex in vigore servatur? „Vultis ergo fratres legem caelibatus ideo sublatam habere, quia contra eam passim a plerisque peccatur. Verum cujus hoc vitium est? legis? vel clericorum qui statum ecclesiasticum tanquam vitae commodius traducendae medium imprudenter eligunt, et praesidia servandi caelibatus omnia non adhibent? Quid adeo praecellentis et

Digitized by Google

sancti est, quo homines non abutantur, et ex quo peccandi ansam non sumant? Si more vestro liceret ob transgressiones praetendere legis sublationem, quae lex nobis remaneret? Veremur ne ipsum praeceptum decalogi. „Non moechaberis, item non desiderabis uxorem proximi tui“ abolere oporteat, quia non pauci homines talia migrare peccato non ducunt: immo ipsam rationem humanam sede sua deturbare necesse sit, quia et contra illam agunt homines, et Russovius contendebat (Libro de origine inaequalitatis et discordiarum inter homines) usum rationis esse omnium vitiorum et sinistrorum eventuum scaturiginem. — Aut putatisne rem impossibilem esse servare caelibatum? Adhibeamus, fratres, assidue media, quae ad id Ascesis christiana praescribit, et experiemur, omnia nos posse in illo, qui nos confortat, Christo. Quodsi in hac materia revera adeo corruptus esset Clerus dioecesanus, ut vos in vestro folio Orbi detexistis, in quo tamen videte, ne et injurii et temerarii fueritis: consultius profecto et ut ita dicam consequentius egissetis: si missa preli libertate scripsissetis primo episcopo, ut mulieres suspectas e domibus Clericorum non attenta quacunque dignitate, adhibitis, si opus est, poenis canonicis removeat, deinde si fratres alios per dioecesim monuissetis, ut deposcente id status decore, populi desiderio, ipsiusque aevi genio caste per omnia vivant, ut decet sanctos: vel si erraverunt, arrepta altera salutis tabula Augustinum aliosque Sanctos imitentur reparaturi verae poenitentiae exemplo, quod peccati scandalo destruxerunt.

Demum ex obtutu servandae munditiei domesticae, gerendaeque oeconomiae dicitis: „quoties Sacerdos debet confidere oeconomiam suam personae, quam nunquam prius vidit; et cuius fidelitatem non habet testatam! quantum cum hac periculum moralitatis! Quanta necessitas fidae animae, cui domum et omnia reliqua concredere possit! quae eum in tristitia consoletur, in infirmitate sublevet, verbo: tota vita ceu angelus pacis comitetur.“ Fratres, si oeconoma, quam

Digitized by Google

assumimus, infidelis aut castitati nostrae periculosa est, potest immo debet amandari. Sed etiam prudentia nobis et omnibus christianis per totam vitam in omnibus correlationibus necessaria est, e proxima occasione remotam efficiendi. Possetne autem uxor prodiga, litigiosa, adultera ita simpliciter amandari? quis nobis vadem praebeat, quod cum rara sint hoc aevo (genium aevi attendite) felicia matrimonia, soli nos Sacerdotes Lucretias atque Angelas et pacis et parsimoniae et pudicitiae accepturi essemus? an non nataremus cum reliquis in gurgite periculoso? an non aliquibus Xantipae, aliquibus crudae Naeviae, aliquibus lascivae Telesinae, aliaeque quas Martialis epigrammate perstringit, obtingerent? Quid deinde, si tales populum contra se et parochum conturbarent? praeberemusne boni conjugii exemplum? an non frequenter ad partiale divortium veniendum esset? et quomodo tunc Sacerdos (viduus stramineus) castitatem vidualem facilius coleret, quam nunc virginalem? Quod denique duces vestri, scripti proclamatorii „Velikodušnim“ auctores in rem proponunt; Episcopos Verhovac et Alagović ad lecticam mortuos inventos fuisse, hoc vere est nihil ad rem. Cum enim hi praesules depontani apoplexia tacti sint, istud mortis genus vix effugissent, si etiam quindecim Muhamedis uxores iisdem adstitissent: Desistite ergo Fratres a postulato, cuius tam elumbia motiva adducitis, ne laici evigilent, vobisque opprobrent, quod pro postulato vestro pugnet unica carnalis voluptas.

Si id, quod svademus, feceritis, sollicitudo de fundo viduarum erigendo suapte cessabit, quam synodo dioecesanae puncto Protocolli 7. proposuistis. Et, ut ex superabundanti vobiscum loquamur, unde, quaerimus, fundus iste erigendus foret? num e bonis ecclesiasticis? Sed vos eorum inter ministros religionis aequiorem divisionem postulastis, maiora superioribus seminarii salaria, meliorem Capellanis subsistentiam dari, domus illis separatas (indubie exinde) aedificari desiderastis. Praeterea non possumus illum quoque bonorum ec-

Digitized by Google

clesiasticorum scopum, a fundatoribus assignatum, ignorare et negligere, quo illa lachrymas omnium pauperum constituunt. Unde ergo fundus iste erigendus esset? An e cassa Contributionali? Timendum, ne populus inclamet nobis: qui vult, aedificare, computet sumptus: qui vult uxorem ducere, creet illi et prolibus patrimonium, sicut nos laici facimus. Videte, fratres, ne vos nimis liberales finantiarum publicarum ministri, Bistricae congregati, in dandis rationibus coram Deo et hominibus deficiatis.

Puncto Protocolli 8. ex principio aequalitatis ita argumentamini. „quidquid formam separatismi et distinctionis redolet, spiritui aevi non convenit, sed Reverenda formam separatismi et distinctionis redolet, ergo spiritui aevi non convenit: Unde censet Congregatio, ut Clerici in privatis et civilibus correlationibus secularem vestem, decentiae status conformem deportent, ita quidem, ut quoad ipsam formam a reliquis civibus haud distingvantur. In divinis officiis retineatur Reverenda.“ Sed amabo quae statui nostro convenientior toga in ipso cum secularibus consortio, quam Reverenda? Quis unquam in hac toga ad publicum, vel privatam honestam societatem venientes subsumsit vel coarguit? Quis non succensuit, si vanitate impellente in laicali veste prodivimus volentes aliud videri, quam sumus? Quodsi e principio omnimodae aequalitatis discrimen vestium tollitis, ad hanc nos compellitis argumentationem: Nos cum reliquis civibus aequalem per omnia, nec forma diversam togam portare debemus, ne separatismum redoleamus. Atqui rurales parochiani, inter quos vivimus, sunt concives nostri, ergo aequalem nec minimum forma distinctam vestem ab ipsis portare debemus. Sed vero vestitus illorum constat udonibus, perisomatibus, indusio, pera humerotenus suspensa, pileo, de hyeme gausapi, ergo et noster vestitus nec potior nec melior, nec qualitercunque alter sit oportet. Fratres! Dominus sit vobiscum. Nolite timere. Non sumus in Turcia, ut togis nostris persecutio infera-

Digitized by Google

tur. Injuriam facitis laicis. Non sunt illi togis nostris adversarii, sed vos, qui togas illorum nescio ob quos fines gerere praeoptatis, quam nostras.

Puncto Protocolli 9. postulatis „ut recepta hucusque lingva lithurgica latina nationali locum cedat.“ Si etiam noster Catholicus populus dioecesanus id, quod proposuistis, revera desideraret, Synodus dioecesana ad summum a Papa id petere posset, quocum in unione disciplinae semper stare debemus, donec Catholici sumus. Verum audite nos, qui etiam tantillam populi notitiam habemus, et desiderium istud non observamus, quin timemus vehementer, ne populus fidelis, qui receptae consvetudini mordicus adhaeret, qui accidentalia ab essentialibus non tam facile distinguit, qui quo rudior est, eo suspiciosior esse solet, ne populus audiens nationalem linguam etiamsi cum indultu Papae in lithurgia a nobis adhiberi, rem istam sinistre interpretetur, et plane, si adhuc a malignis, qui non desunt, geniis sufflaminaretur, putet se duci ad schisma. Quomodo tunc populum componemus licet decem Bullas Pontificias e Cathedra legerimus? Nobis satius esse videtur non moliri rem, ex qua parum boni, multum mali secuturum providere possis.

Omittamus alia minoris momenti puncta, et properemus ad finem. Ultimis Protocolli lineis conclusistis, fratres, haec reformationis vestrae postulata, universis dioecesis districtibus communicanda esse, et reapse mediante typo communicastis ea de causa, ut et alii vobis assentiantur, quive ejusdem vobiscum essent sententiae, nomina sua subscripta ad Abbatem Bistricensem velut quemdam foraneum in negotio reformationis Vicarium submittant. Nos quoque idmodi scripti vestri exemplar accepimus et obstupuimus conspicati illico, quantum esset in argumento falsitatis, in consilio imprudentiae, in facto temeritatis. Adducti igitur amore tum vestri tum veri non potuimus negligere, ut pari beneficio typi usi non daremus responsum, quo quantopere hallucinati sitis, et vobis

Digitized by Google

indicaremus et illis, qui fortasse erronea provocatione seducti similiter erraverunt. Considerate fratres, dum omnia civili ardent perturbatione, eodem tempore disciplinae clericalis relaxationem quaerere quid aliud est, quam velle escam sensuali orexi optatam in turbido piscari, quod Sacerdotes oppido non decet? Disciplina nostra sapientissimo consilio sancita, ratione colligata, multarum gravissimarum rationum et ipsius vetustatis praesidio nititur. Cicero (in Fragmentis) ait: Haud quaquam boni est ratione vinctum velle dissolvere. Id apud nos attentare foret moliri rem religioni, ecclesiae, et statui ecclesiastico noxiam. Observemus potius ad amussim disciplinam, a maioribus ad nos transmissam, omnibus retroacti aevi geniis superiorem: et profecto giganteus praesentis aevi spiritus, (in iustitia ejus confidimus) non obiurgabit nos, neque insectabitur, verum recta facientibus dabit laudem. De cetero fratres, non nostris verum divi Pauli Apostoli verbis ad Hebraeos cap. **12.** vos alloquimur, „In disciplina perseverate. Quodsi extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis. Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae. Propter quod remissas manus et soluta genua erigite. Et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur."

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUADRAGESIMALES, QUIBUS CLERUS CONTRA SEDUCTIVUM TEMPORIS SPIRITUM PRAEMUNITUR, DIMISSAE MENSE FEBRUARIO ANNI1849.

GEORGIUS etc.

Venerabilibus Fratribus, Filiisque dilectissimis, universo Clero Dioecesis Nostrae salutem in Domino Sempiternam!

Ipsa, quae hodierno die nobis illuxit Dominica, dicta Septuagesimae, nos commonet, advicinari nos rursum sacris jejunii quadragesimalis diebus, id vero est illi anni ecclesiastici pericopae, quae peculiarius ad id destinata est, ut per frequentiores mentis ad Deum elevationes, per appetituum carnalium severiorem edomationem, per operum misericordiae spiritualium aeque, ac corporalium solertiorem dispensationem, ignem divini amoris, qui lapsu temporis debilitatus fortasse fuit, resuscitaremus in cordibus nostris, expiaremus, quae ex pulvere mundano nobis adhaeserunt inquinamenta, corroboraremus in nobis fidem vivam quae per charitatem operatur; sicque convenienter nos praepararemus ad digne celebranda Resurrectionis Dominicae, seu Paschalia festa; quibus nimirum omnium caeterarum in Ecclesia festivitatum solemnitas consecratur. Quae quidem omnia unius jejunii nomine comprehendere solet Ecclesia. *Jejunium* enim, teste S. Ambrosio, *mors est culpae, excidium delictorum, remedium*

Digitized by Google

salutis, radix gratiae, fundamentum castitatis. Sed non est Nobis propositum, de disciplina jejunii quadragesimalis, hac vice, verba ad Vos facere Fratres, Filiique dilectissimi; praesertim cum eatenus semel ac iterum mentem Nostram uberrius coram Vobis Nos aperuisse meminerimus. Id tantum hac in parte declaramus: Nos relate ad mensuram et modum dispensationis, in abstinentiae et jejunii quadragesimalis lege tribuendae, ne hoc quidem anno quidquam velle immutare, sed iis, quae annis superioribus eatenus ad Vos perscripsimus, nunc quoque inhaerere; orantes solummodo Vos, quo possumus impensius, ut ipsius Salvatoris. nostri Jesu Christi sublimi exemplo consecratam, innumeris Ecclesiae praeceptis constabilitam, multorum saeculorum usu roboratam, ipsaque incredibili sua utilitate commendabilem disciplinam hanc, quoad tantum licet, sustinere, omnique meliore modo fidelibus Vestris inculcare, ac tributa Vobis dispensandi facultate, nonnisi ubi necessitatis aut utilitatis spiritualis ratio, conscientiarumque teneritudo deposcit, adeoque non in adtenuationem, sed corroborationem religiosi sensus et pietatis, uti contendatis.

At vero, quamvis hac in parte nil peculiarius Vobis habeamus praescribendum: intermittere tamen non possumus, quin hac opportunitate, aliqua pastoralis sollicitudinis Nostrae, paternaeque adhortationis verba effundamus in sinum Vestrum, Fratres, Filiique dilectissimi. Si enim id faciendum Nobis videbatur anteactis temporibus, quae plenam Ecclesiae portendebant securitatem, quibus per totius monarchiae nostrae ambitum, atque adeo per universam pene Europam profunda vigebat pax; jura individuorum aeque ac corporationum firmo videbantur inniti fundamento; verbo quibus penes ordinem rerum, saeculorum usu constabilitum, tranquilla fuere omnia: quanto magis id agendum Nobis est hoc momento, post istam videlicet, quam annus nuper evolutus 1848-us, apud omnes pene Europae popu-

Digitized by Google

los, induxit idearum, principiorum, studiorum, jurium, ac cunctarum pene, quae homines invicem ligant, correlationum immutationem? ubi succussa antiqua rerum consistentia; cuncta quasi nova facta sunt; jura vetusta sublata, nova exsculpta, latissima, quidvis lubet edicendi, ac publici etiam juris reddendi libertas promulgata; mutua gentes inter, ac ipsos etiam ejusdem nationis homines fiducia labefactata, immo tantopere suffossa, ut innumeris in locis turbae, ac seditiones, civiliaque bella eruperint, nec adusque saevitiei armorum, sanguinisque humani profusioni modus poni potuerit?

Haec tanta publicarum rerum commutatio, non potest non suum in ea etiam, quae fidei, religionis, Ecclesiaeque sunt, exerere influxum; et quidem influxum non minus pondere suo gravem, quam varietate multiplicem. Id enim et humanae naturae indoles, et arctus, qui civilem inter populorum statum, Ecclesiamque intercedit, nexus, suapte importat. Et quamvis firma teneamus fiducia, religionem nostram, depositariamque ejus, sanctam Ecclesiam catholicam, in finem usque saeculorum, juxta promissum salvatoris nostri perseveraturam; nec eam ullis humani ingenii inventis, ullis rerum politicarum conversionibus, unquam depressum, aut convulsum iri: tamen magnopere ad nostri pertinet muneris partes solerter dispicere, an, et quid, ex tanta rerum immutatione emolumenti possit exspectari? an, et quae damna, periculaque, relate ad memorata summi momenti objecta, religionem quippe et Eeclesiam, praemetuenda videantur? Id inquam inquirere ad nostri praesertim pertinet munus officii; quorum, velut novae legis sacerdotum, manibus sacrosancta haec deposita peculiarius sunt concredita; qui vigiles sumus constituti super muris Jerusalem, quibus agri Dominici cura et custodia speciali, eoque districtissimo, est mandato commendata.

Digitized by Google

Et ideo, cum Nos, quantumvis indignos, praeesse sacro Vestro coetui placuerit divinae benignitati: Nostra Vobis hanc in rem sensa, quantum quidem epistolae modus patitur, hisce aperienda censuimus: ut excitata in re gravissima attentione Vestra, uberiorem Vobis suppeditaremus meditationis ansam, et tum efformandis rectis eatenus judiciis, per modum ferendarum suppetiarum, subserviremus Vobis, tum dupplicandae in agendo contentioni qualescunque stimulos subjiceremus. Expromemus igitur, summatimque indicabimus, et bona, quae ex hac ingenti rerum mutatione, in religionem, Ecclesiamque catholicam dimanare posse, et mala, quae inde proventura praemetui debere existimamus: tum, quae potissimum, parte ex nostra, adversum haec posteriora remedia adhibenda censeamus? indicabimus.

Cuncta, quae, diluvii instar, Europam, anno hoc proxime evoluto innundaverunt placita, variaque his superstructa legum, et doctrinarum systhemata, novorum eventuum feracissima, tribus iis voculis, quae per omnium ora feruntur, nec minus compita platearum, quam legislationum cameras explent, comprehenduntur, *libertatis* quippe, *aequalitatis*, *fraternitatis*. Et certe, ex tam universali horum vocabulorum cooptatione quivis, teneriori humanitatis sensu praeditus, non potest non insignem capere consolationem. Quid enim probo, et sensitivi cordis homini potest esse jucundius, quam adoptata videre, tam ingenti consensione, libertatis, qua nihil exoptabilius, aequalitatis, qua nihil humanae dignitati convenientius, et fraternitatis qua nihil beatius cogitari possit, principia? Quodsi porro haec omni viro bono grata videri debent, et jucunda: magis adhuc laeta, et accepta accidere debent nobis, Evangelii praeconibus, et religionis christianae ministris; cuius videlicet Sacrosanctae religionis summa, in mentibus, animisque hominum verae libertati adserendis, inque constabilienda chari-

Digitized by Google

tatis, et mutuae dilectionis, tanquam genuinae fraternitatis, et aequalitatis scaturigine, consistit. Certe Salvator noster ideo venit in hunc mundum, ut nos vinculis constrictos, in libertatem adsereret filiorum Dei. Certe natus in stabulo, et jacens in praesepi, jam in ipsa infantia sua, totum amplexus est humanum genus, sufferens omnem divites inter et pauperes, summos inter ac imos, disparitatem: immo paupertati et humilitati peculiare, exemplo suo, indens lustrum ac meritum; quod quidem et deinceps totius suae terrestris morae decursu, praestitit, et doctrina sua, et propriae vitae tenore; quae non erat aliud, quam inauditum antehac amoris, erga omnes omnino homines, paradigma, voluntario crucis supplicio consecratum. Divini sui magistri, et institutoris doctrinam, exemplumque secuta Ecclesia sancta Catholica, nullo non tempore, iisdem institit principiis. Ipsa enim fuit, quae non tantum ab errorum, et perversae vitae servitute liberare, modis omnibus, adlaborabat homines, sedentes in umbra mortis; sed et illam civilem servitutem, quae hominem homini, pecoris instar, in proprietatem adserebat, quaeve ad exordia usque Ecclesiae, per totum terrarum orbem, et apud omnes omnino nationes, pervigebat, infregit, magisque subin ac magis labefactavit, dum eam pene ex omnibus, in quas pertigit, terraquei orbis partibus, propulsasset. Haec nemo negaverit, qui humani generis historiam vel ex superficie degustavit, quamquam negari pariter nequeat, non aeque feliciter ubique, aut pleno statim cum effectu, duritiem cordis humani, aut lucri aviditatem, per mitem Ecclesiae spiritum debellari potuisse. Idem Ecclesiae genius regnavit semper, regnatque hodiedum, et regnabit jugiter, in omni ejusdem doctrina, in administratione sacramentorum, in tota denique ejus, qua genus humanum ad aeternae vitae fontes deducere nititur, salutis oeconomia. Non habet Ecclesia, ut veteres passim Philosophi, alia axiomata pro eruditis, alia pro ru-

Digitized by Google

dibus; non habet alia praecepta morum pro divitibus et nobilibus, alia pro pauperibus et obscuro loco natis; non parat distinctam mensam optimatibus, distinctam miseris; non cumulat illos supra meritum, nec injuriose subtrahit his charismata sua; non est illa personarum acceptrix, sed tenera omnium mater, dives in omnes, qui non dedignantur viscera charitatis ejus, non repellunt ubera ejus, plena lacte donorum coelestium. Vere itaque dixerimus, principia libertatis, aequalitatis, et fraternitatis, adeo propria esse religioni, et Ecclesiae nostrae, ut haec illis velut basibus suis, superstructa videatur: nec illa uspiam seu purius quoad essentiam, seu latepatentius quoad extensionem suam, possint reperiri.

Sed propterea etiam haec libertatis et aequalitatis principii publica adoptatio, exoptata nobis, qua Ecclesiae catholicae ministris, debet apparere, quod supponere liceat, eam, quae pro cunctis societatibus aliis tam districte postulatur, et liberaliter tribuitur, propriis legibus, juribusque suis utendi facultatem, catholicae quoque rei concessum iri; id vero tanto magis, quo certioribus argumentis, octodecim saeculorum defluxu, est demonstratum, Ecclesiam nostram nonmodo nullum humanae societati, statusque publici securitati, aut privatorum etiam hominum felicitati portendere periculum, sed potius omnis, et publicae, et privatae prosperitatis fundamentum constituere, fulcrumque validissimum. Eadem porro haec, quam spe laetissima praecipimus catholicae Ecclesiae restituenda libertas, tanto ampliori nos afficere debet solatio, quod parte ab una indubium sit, eam in plerisque hucdum statibus, et relate ad liberam membrorum cum suo capite communicationem, et secus etiam, multifarie politicarum legum sanctionibus fuisse constrictam, et coangustatam; quod item parte ab altera constet, idem admirabile Ecclesiae catholicae institutum, propriae suae, quam ex Deo mutuata est, inniti

Digitized by Google

virtuti, nec ad efflorescentiam, producendosque salutares fructus, alia pene re indigere, quam libertate; quamquam nec oppressiones, ipsae adeo in eam exercitae tyrannides, illam unquam potuerint evertere, eaque ex cunctis persecutionibus, phoenicis instar, novis semper viribus, novaque pulchritudine exornata surrexerit.

Patet ex his, per summos quodammodo apices delibatis, ex mutatione temporum nostrorum, humano generi, ipsique religioni, et Ecclesiae insignia accrescere posse lucra, veraque emolumenta, si modo nobilissimis istis libertatis, et fraternitatis donis recti tributi fuerint conceptus, neque illa eo detorsa, unde infelicitas potius, quam vera felicitas in statum societatis publicum, ipsasque privatas, et familias, et personas dimanet. Quippe, quemadmodum res cunctae, quam maxime etiam salutares, atque adeo sanctissimae, variis sunt obnoxiae abusibus: sic hae quoque nobilissimae, et tam concordi nationum assensione arreptae ideae, detorqueri omnino possunt multifarie, non minus ad subruendam status civilis securitatem et felicitatem, quam et ad infligenda vulnera religioni, et Ecclesiae, ac aeternae, quae his indivisibiliter juncta est, hominum saluti. De periculis status civilis, de praesenti nihil dicere intendimus: praesertim cum eatenus, datis ad Vos plurium ordinum encyclicis literis, sat aperte mentem Nostram aperuerimus. Sed vero, quantum ad religionem, et Ecclesiam; ut supra jam meminimus, rem tantisper expendemus.

Libertas imprimis praeli, praesertim si nullis, ut hucdum fere apud nos obtinet, vel coercitivis constricta sit legibus, campum aperit patentissimum, saluberrimos Ecclesiae ritus, consuetudines pias, systhema regiminis et disciplinae ecclesiasticae, ipsa adeo fidei ac morum dogmata impugnandi, subsumendi, explodendi, inque sensum a genuino spiritu suo alienum detorquendi; quae quidem impietas hominum, male religioni affectorum, jam vel hoc brevi, quo prae-

Digitized by Google

lum suis est solutum vinculis, temporis spatio, multifarie omnino se exeruit, nec raro eo processit, ut vitia in virtutes, virtutes vicissim in vitia, speciosis coloribus inditis, transformari tentarentur. Malum exinde promanans, eo increscit amplius, quod irreligiosus spiritus, non raro, in exiguos, plebis ruralis captui ex industria accommodatos libellos, ipsa adeo calendaria irrepat; quod inferior etiam hominum in civitatibus classis, variis curiositatem excitantibus tractatibus, schedis in publicis locis affixis, picturis et repraesentationibus scandalosis, cunctisque aliis, quae malitiosae ingeniositati deesse haud solent, viis et artibus, veneno hoc inficiatur. Quam ingentem abominabilium huiusmodi praeli productorum colluvies, in animis hominum operetur stragem? facile quisque conjectura assequi potest; quamquam nulla conjectura opus sit, ubi ipsa quotidiana experientia clare loquitur. Aut non satis adhuc clare, vel hi aliquot posteriores, anni praeterlapsi menses, protestati sunt, in cunctis pene praecipuis Europae urbibus, nec exteris tantum, sed ipsis etiam domesticis monarchiae nostrae, hac praeli libertate, in tristem licentiam degenerante, tantas, relate ad religiosum, moralemque hominum sensum, editas esse strages, quantas vix quisquam pro exiguo adeo temporis tractu, vel divinare praesumpsisset. Aut fortasse negaverit quisquam, hanc ingentem corruptelam morum, imprimis licentiae praeli esse adscribendam? Qui id negare ausit, sane nec ad humanae naturae conditionem rite reflexerit, nec vitam hominum, in majoribus praesertim civitatibus degentium, propriis unquam oculis usurpaverit. Sed et ii falso laborant supposito, qui huic corruptelae, bonorum ex adverso librorum, tractatuumque pondere occurri posse existimant. Non expendunt, qui ita sentiunt, inditam, inde a lapsu protoparentum nostrorum, humanae naturae in malum, id vero est in ea, quae superbiae vitae, concupiscentiae oculorum, in genere sensualitati favent, propensionem; quam

Digitized by Google

sensualitatem Doctor gentium tam apposite legem membrorum nostrorum compellat, repugnantem legi mentis nostrae. Haec nostra in malum propensio facit, ut in religionis obsequio, intraque vitae probae limites, vel sic aegre retineri possint homines, si continuis ad virtutes stimulis urgeantur, si mala cuncta sedulo ab auribus, oculisque eorum removeantur, nec propinentur iis, nisi quae sancta sunt et salutaria. Malum, contra, ipsum sibi abunde sufficit. Sufficit illud non cohibere, aut vel eminus ostendere; nec ulla, ut sectatores nanciscatur, indiget commendatione. Dentur, in instituto aliquo, adolescentibus optimi quique, ad Deum, et virtutem invitantes libri; dentur una veneri, philauciae, peccaminosis eorum propensionibus faventes: mox tristis docebit experientia, religiosum, et moralem ejus instituti statum deplorabilem omnino evasisse. Idem obtinet circa populum nec tantum classium inferiorum, et literarum rudem, sed et eum, qui se existimat cultiorem, cumprimis vero eam ipsius portionem, quae sciolorum nomine solet compellari; qua nihil fere periculosius, nihil ad irreligionem, morumque corruptelam proclivius.

Quemadmodum porro ex irrestricta praeli libertate: ita ex libera quoque ista, quae ubique pene jam invaluit, ac legum quoque authoritate sanciri coepit, consociationum, et fraternitatum ineundarum facultate, non exigua religioni, et morum probitati parantur pericula. Passim quippe ipsae etiam, quae in exordio utiles aut saltem innocentes videbantur, societates idgenus, mox devium ineunt tramitem, ac corrumpuntur; immo non raro speciem induunt cultus religiosi, cum re ipsa non sint aliud, quam parodia divini cultus, et impietatum varii generis congeries. Scimus quales, sub diversis nomenclationibus, uti: Chatelianorum, Ferreristarum, Saint Simonistarum, in Gallia, aliisque exteris regnis coaluerint spuriae idmodi religiosae societates, verae fidei non minus, quam vitae probitati summe prae-

Digitized by Google

judiciosae. Immo in pluribus monarchiae quoque nostrae civitatibus, ipsa adeo ejus metropoli, publice, inque ingenti hominum confluxu, asservari vidimus sectae, ab infelici auctore suo, Rongeanae dictae, conventicula; qua quidem secta vix vel cogitari possit alia, quae seu magis impia sit relate ad sua dogmata, seu perniciosioris influxus relate ad mores hominum, seu feracior omnimodae dissolutionis, seu denique ipsa religiosi cultus nomenclatione indignior. Talia, Fratres, Filiique dilectissimi, quamvis abominationem creare debeant omni, vero religionis sensu praedito homini: tamen ipsa novitatis suae specie decipere solent incautos, praesertim minus solide in fide fundatos, et permultis petra evadunt scandali, aegre admodum reparandi; eo vero facilius, quod indomitae passim faveant quidvis sentiendi licentiae, faveant carni et sanguini, istique cuncta, probatissima etiam et sanctissima convellendi pruritui, qui pene characteristicam temporum nostrorum notam constituit.

Sed est aliud adhuc, quod multifarie undique urgeri observamus, novarum harum idearum corollarium, supparis certe si non majoris adhuc, relate ad religiositatem et mores hominum periculi. Quippe ex principio aequalitatis religionum omnium, illud deducitur axioma: scholas, nec altiores solum, sed et medias, immo ipsas vernaculas, sic esse coordinandas, ut nulla illic tradatur doctrina religionis, neque juventus ad participationem sacramentorum, aliaque pietatis opera adstringatur, sed haec a privato uniuscujusque pendeant arbitrio. Exhinc deducitur aliud axioma: ecclesiasticis aut religiosis viris, qua talibus, educationem juventutis concredi non posse. Me etiam tacente intelligitis Fratres, Filiique dilectissimi, quo haec, si reapse in praxim deducerentur principia, post paucorum annorum defluxum, propulsura forent juventutem, et, quia ab hac futurae generationis sors dependet, ipsam socie-

Digitized by Google

tatem humanam? Nimirum, si adusque, ubi educatio quomodocumque juncta fuit religioni, et pietatis exercitiis, juventus tamen, magna parte degenerare solebat, multisque, nec immerito, querelis ansam suppeditabat: quid, quaeso, exspectari poterit ab adolescente aetate, saluberrimis religiosae institutionis, et educationis praesidiis destituta, ac pene sensualibus instinctibus suis, et passionibus relicta? Si in ulla re, in hac certe mira humani ingenii aberratio impatescit. Omnis enim, non plane incurius evolutionis temporum observator, non potuit non eam sibi comparare convictionem: maximam aevi nostri calamitatem, a minus religiosa juventutis educatione esse repetendam; nec pacatiora, beatioraque tempora nos posse exspectare, nisi defectui huic legum salubritate fuerit obviatum. Sane ipsa naturalis ratio, sed magis adhuc experientia demonstrat: a juventute, pietatis, religionisque sensu experte, nil boni posse expectari. Sed testatur etiam ratio et experientia, non sufficere obviam quamque, hac in parte institutionem, sed eam solidam et assiduam esse debere, quodve caput rei est, cum toto educationis systemate conjunctam; quae de gressu in gressum manuducat adolescentem, et angeli instar custodis, comitem agat vitae ipsius, cunctasque ejus dirigat cogitatione, affectus, et opera. In vicem huius, quae tam necessaria foret, reformationis, ea etiam proh dolor, quae adhuc praesto fuerant religiosae educationis elementa, subsidiaque removeri intenduntur! Quibus expensis, nihil mirum videri debet, quod in Gallia aeque, ac Germania, ipsaque, recentius Hungaria, corpus Episcoporum huic innovationi tam acre bellum indixerit. Quippe perspicientes, parte ab una, Ecclesiarum Praesules, periculi exhinc minitantis magnitudinem, probe gnari, parte ab altera, Salvatorem generico illo praecepto: *Euntes docete omnes gentes*, teneram juventam non minus, ac adultos complexum fuisse, nec proinde hanc maternis Ecclesiae uberibus

Digitized by Google

eripi posse, — impietati idgenus legislatorum, ad extremum usque halitum, sibi resistendum arbitrabantur.

Non exigua porro, per genium huius aevi, religioni infliguntur vulnera per istum, qui undequaque semet manifestat, Ecclesiam, ministrosque ejus, ac imprimis Praesules juribus, et reditibus exuendi pruritum. Quod augustorum regum, principum, aliorumque proborum hominum, in hos fines provida aliquando contulit pietas, religiosaque fides: impietati, livorique jam passim cessit in rapinam. De praesenti in reliquias priscae istius liberalitatis desaevitur. Verum quidem est, Ecclesiam non vivere modo, sed et florere posse, sine his rerum caducarum suppetiis, ornamentisque; immo tum potissimum fuisse in apice gloriae suae constitutam, ubi cum acerbissima colluctabatur paupertate, ubi persecutionum exposita fuit furoribus, ubi catacombae, et antra subterranea vices templorum, ferarum receptacula vices obibant residentiarum episcopalium: tamen, si haec quoque divini cultus augustius instituendi, educandi in futuras Ecclesiae spes cleri junioris, succolandarum scholarum, sublevandae tantae egenorum omnis generis indigentiae, caeterorum perutilium utriusque reipublicae finium promovendorum, substrahantur subsidia: non possunt non gravia exinde in ipsam etiam religionem, christianamque morum probitatem dimanare detrimenta; hac praesertim aetate nostra, adeo exteris rerum formis adhaerente, adeo temporalibus emolumentis inhiante, adeo beneficentiae ecclesiasticae subsidiis inescata, et asuefacta.

Plura adhuc memorare possemus, quae ex cooptatis recentius libertatis et aequalitatis axiomatibus, in rem religionis, et Ecclesiae, aut jam adusque semet evolverunt, aut postmodum semet evolutura juste metuuntur, damna, et pericula; sed non volumus ultra, quam necesse sit, Vestram, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, fatigare patientiam. Id tamen non possumus hoc loco silentio prae-

Digitized by Google

terire: eo haec nobis acerbiora debere accidere, quod ubi pro irrestricta omnis hominum classis, omniumque consociationum, etiam earum, quae impia atheismi profitentur placita, libertate decertatur: haec recte Ecclesiae catholicae, adhucdum, nec uno tantum modo controvertatur. Sic, dum cunctis caeteris, a fide catholica alienis Confessionibus, irrestricta ministros suos, praepositosque eligendi, res suas legibus constituendi, cum omnibus, ac quibuslibet, literarum commercia fovendi, facultas vindicatur; catholica Ecclesia, quoad haec omnia, passim adhuc sub civilis authoritatis tutela retineri intenditur; ipsa libera ejus cum suo Capite communicatio controvertitur. Dum aliarum Confessionum scholae, ab omni altiori exemptae sunt influxu; solae catholicae novis regulantur legibus, ac iis quidem, ut vel ex mox praemissis patet, ipsi religioni quandoque perniciosis. Dum aliae Confessiones, possessoriis suis, fundationibus, et peculiis omnis generis, suo arbitratu uti permittuntur: recte per catholicos factae, inque catholicos fines indubie destinatae collationes, dona, et fundationes, saeculorum etiam praescriptione consecratae, publici quodammodo juris existimantur, et pro talibus venditantur, quae sine scrupulo in sublevandas aliarum quoque confessionum scholas, inque dotandos earum religionis ministros converti possint. An non legimus pene quotidie, Praesules, sacerdotes alios, ipsosque saeculares viros, religioni catholicae toto corde adhaerentes, et pro libertate Ecclesiae suae non per modum praeeminentiae super alias, sed per modum sincerae cum aliis coordinationis, decertantes, insultibus exponi, odiis et persecutionibus? An non integras religiosas, virorum ac mulierum communitates, in ipsa monarchiae metropoli, sine ulla legitima causa, nec ulla interveniente judicis sententia, sedibus suis, crudelem in modum legimus depulsas, idque per eos ipsos, qui similis Judaeis illatas injurias auctoribus suis acerbissime improbabant? Procul certo abest ab animo

Digitized by Google

nostro, ut cuicunque hominum classi inflictam injuriam, vel exculpemus, nedum approbemus. Sed tamen non est consequentiae, immo vehementer depravati catholici sensus indicium est, ruditate, petulantiaque hominum erga Judaeos commissum in nonnullis locis facinus, tanta conclamatione damnare, idemque in sacerdotibus, ac Ecclesiae ministris, et insontibus Deo dicatis virginibus, et quidem in facie dicasteriorum, ac publicarum authoritatum, in ipsa monarchiae metropoli committere, ac propterea in Praesulem plane, qui, pro incumbente sibi munere tantam miserorum calamitatem mitigare conabatur, desaevire. Sic intellecta libertatis, fraternitatis, et aequalitatis lex, nec humanae certe societati prosperitatem, nec religioni aliquam adferre posset consolationem.

Ad cumulum harum calamitatum accessit, nunc admodum evolutis diebus, tristis ille eventus, quod summum Pontificem nostrum, visibile Ecclesiae caput, Pium illum nonum, qui tantis nuper adhuc totius orbis laudibus pene ad astra extollebatur, tantis undique, ab ipso adeo Turcarum Sultano, gratulationibus consalutabatur; illum inquam Pium IX., qui nemini unquam male fecit, cuius vitae universae tenor non est aliud, quam religiosae pietatis, humanitatis, beneficentiae operum concatenatio, sedem suam relinquere, salutem in fuga quaerere, atque extranei principis saecularis protectionem implorare oportuerit. Tantum potest conjurata vis improborum; tantum perversorum hominum pectora, malitiae, ingratitudinis, impietatis habent! Non ignoramus equidem naviculam Petri saepe jam hujusmodi tempestatibus fuisse agitatam; firmiterque confidimus, Eum qui imperat ventis et fluctibus, non passurum, ut suus in terris Vicarius malitiae succumbat hominum: non potest tamen non vehementer persentiscere corpus tantam capiti suo illatam injuriam; non possunt non singula membra acerbo affici dolore, dum centrum suae conjunctionis, tam indigne tractari experiuntur.

Digitized by Google

Cuncta haec, quicunque paulo attentius expenderit: in interioribus pectoris sui concutiatur, gravique repleatur sollicitudine oportet. Sed et in quovis, religionis sensu praedito, beneque humanitati cupienti, vivum haec excitare debent desiderium, imminenti tam gravi discrimini occurendi pro viribus; mitigandi saltem, si praecaveri penitus non possunt, ingruentia, jamque sparsa multifarie mala. Sed desiderium hoc nostra praesertim penetrare debet pectora, Fratres Filiique dilectissimi, quorum manibus potissimum tradita sunt sacrosancta fidei charismata; qui ea tueri ac defendere, et in tuitionem eorum, ipsam adeo, si oporteat, vitam nostram imolare obstringimur. Neque causemur tenuitatem virium nostrarum: non enim a nobis ipsis est sufficientia nostra, sed ab Eo, cuius legatione fungimur, qui potest e lapidibus etiam excitare filios Abrahae, qui fideles servos suos admirabili persaepe instruit virtute, et confundit per eos sapientiam prudentium, et confringit potentiam fortium. Haec fuit semper divinae circa humanum genus providentiae ratio. Jam vetustissimis temporibus ad eradicanda vitia, et virtutes implantandas, delectorum sibi ministrorum opera usus est Deus. Impietati apud Hebraeos sanctitatem, et zelum opposuit Prophetarum. Ubi mundus universus in idololatriam, omneque corruptelae genus rursum fuerat immersus; misit Dominus duodecim piscatores, eosque literarum rudes, qui orbem terrarum praedicationibus suis impleverunt; qui ne baculo quidem et pera, sed tanto abundantius spiritu sancto instructi, mox magnifica idolorum templa, in ipsa adeo toti pene orbi dominante urbe Roma, everterunt; superba cuncta philosophorum systhemata humili Crucis doctrina convulserunt, et quod magis adhuc mirandum, vitia exstirparunt, virtutes implantarunt, humanum genus e coeno criminum, omnisque perversitatis inundatione ereptum, in admirabile sanctitatis lumen perduxerunt. Evenit id successivis etiam temporibus; videlicet per

Digitized by Google

sacerdotes fide, zelo, et vitae sanctitate exaestuantes, mirum in modum repressa fuerunt vitia, et pietas morum propagata, immo integrae quandoque provinciae unius idgenus viri apostolico spiritu ab interitu vindicatae, et ad probitatis, sanctimoniaeque tramitem reductae. Inter multos, vel Ambrosium, Augustinum, Chrysosthomum, Bonifacium, Franciscum Salesium, Xaverium item, et Carolum Borromaeum suffecerit memorasse. Verum est, abesse nos quam longissime a praeclaris seu mentis dotibus, seu fervore spiritus magnorum idgenus virorum; tamen et nos, quantumvis tenues, in sua quisque sphaera possumus, modo serio velimus, multa, non quasi sufficientia nostra ex nobis sit, ut jam innuimus, sed in Eo, cuius virtute sustentamur. Nos quoque, indignos licet, tamen elegit Dominus in sortem haereditatis suae, misitque in vineam suam, ad operandum opus suum. Quantacunque sit temporis iniquitas, multum possunt sacerdotes, et curatores animarum, si vere in corde suo persentiscant sublimitatem vocationis suae; si in fide, spe, et charitate fundati, zelose, et fideliter exequi contendant collatum sibi munus; si irremisso oculo intendant in nobilissimam metam cursus sui, nec aliud percupiant, quam consequi bravium, et adducere secum in conspectum Salvatoris eos, quos, ex ejus manibus in via salutis ducendos, susceperunt.

Quodsi jam de via, modisque invalescenti tantae temporum nostrorum impietati, tantis religioni, et sanctimoniae vitae periculis occurrendi, quaeratur: in genere non alia, quam quae nunc admodum, de exacto vocationis nostrae implemento memoravimus, possumus indicare. Si tamen magis specialia deposcitis Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi: nonnulla hisce subjungimus.

Imprimis commendamus Vobis pias et assiduas preces ad Deum Patrem omnipotentem, a quo omne datum optimum descendit; ad Salvatorem nostrum, in cujus nomine

Digitized by Google

concentratur virtus nostra; ad Spiritum sanctum, qui fons est donorum supernorum, et gratiarum omnium. *Qui adorat Deum in oblectatione*, ait Sapiens, *suscipietur, et deprecatio illius usque ad nubes propinguabit.* Ipse porro Salvator nobis ingeminat: *vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante filium hominis.* Sic et Paulus Apostolus ad Thimoth. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate.* Sanctus quoque Gregorius monet: *Quanto graviori tumultu carnalium rerum premimur, tanto orationi insistere debemus.* Quippe omnis contentio nostra evanida erit, nisi coelesti rore nutriatur; mox deficiemus in pugna, nisi Ejus sustentemur robore, qui solus docet manus nostras ad digne praeliandum; qui solus nos potest confirmare spiritu suo principali. Oremus itaque Fratres, Filiique dilectissimi; oremus incessanter, oremus pio cum fervore, oremus plena cum fiducia. Oremus imprimis, ut Deus omnipotens Ecclesiam suam sanctam regere, gubernare et coadunare dignetur: quo destructis adversitatibus universis, secura sibi serviat libertate. Oremus pro Pontifice nostro Pio, tantis injuriis lacessito: ne tradat eum Dominus in manus inimicorum suorum, sed det ei verbo et exemplo, quibus praeest proficere; ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Oremus pro Rege nostro, ut qui divina miseratione populorum suorum suscepit gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa; quatenus et ecclesiasticae pacis obtineat tranquillitatem, et feliciter revehere possit tantopere turbatam pacem populorum suorum. Oremus Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, ut mentium dispellat tenebras, omnesque ad sancti sui nominis, et ejus quem misit unigeniti Filii sui veritatem agno-

Digitized by Google

scendam adducat; ut sanet has tantas infirmitates mentium et perniciosas aberrationes; ut tribulationes nostras propitius respiciat, et iram suae indignationis, quam iuste meremur, clementer a nobis avertat; ut det pacem in diebus nostris; quo hostium sublata formidine, tempora sint sua protectione tranquilla; ut denique nos ipsos in suo servitio confortet, ut det nobis famulis suis, veram cum sua voluntate concordiam, spiritum sapientiae, fortitudinis, et prudentiae, et quos uno pane coelesti satiare dignatur, sua faciat pietate concordes. Haec, et similia suspiria, juncta adcuratae praescriptarum per Ecclesiam precum persolutioni, assiduisque piis meditationibus, penetrabunt in conspectum Altissimi, incendent igne divino corda nostra, et benedictionis rorem inducent super cunctis operationibus, laboribus, et sudoribus nostris.

Alterum quod nunquam satis Vobis commendare possumus Fratres, Filiique dilectissimi, est solers, et adcurata institutio fidelium curae Vestrae creditorum, institutionique huic juncta irremissa vigilantia pastoralis. Evangelium convertit aliquando mundum, et vis verbi divini ne nunc quidem est exinanita; manet illud et manebit in finem usque saeculorum gladius in utramque partem acutus, et pertingens usque divisionem animae. Neque enim *sapientiam*, ut ait Doctor gentium, loquimur *huius saeculi*: *neque principum huius saeculi qui destruuntur*, *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio*, *quae abscondita est*, *quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram*; sapientiam inquam, quae repelli potest a stultis, vilipendi a hominibus carnalibus concupiscentiis deditis, impugnari etiam aliquo tempore, et persecutionibus labefactari ab impiis; sed cujus divinae virtuti haud diu resistitur. Ast praescindendo etiam a supernaturali vi verbi divini, magnae felicitatis est, quod sacerdotium signanter Curatores animarum, adhucdum pene soli publice verba ad populos faciant,

Digitized by Google

idque jugiter totius anni decursu. Hac eos praerogativa inimici religionis exuere necdum potuerunt. Pendet itaque fidelis populus hodiedum ab ore Pastoris sui, et si is hoc suo praedicatoris munere rite defungatur, incredibile quantum in mentes, animosque hominum exerere possit influxum. Sed indubium pariter est, viva opus esse fide, magna charitate, infatigabili patientia, multo labore, ut quis tam praeclaro munere rite defungi queat, nilque hac in parte ab se desiderari passus videatur. Neque enim obvia quaevis, jejuna et superficialis, sine debita praeparatione suscepta, sed fundata, temporum, ac locorum adjunctis congruens, vere popularis, unctione spiritus plena esse debet institutio, quae illuminet mentes, et divinarum rerum notitiis instruat; dubia repellat, cor ad Dei, et virtutis amorem inflammet; delectet etiam varietate colorum et vestium, quibus et aeternas veritates religionis distingui quandoque, et exornari perutile est; verbo instructio, quae sanum, ac nutritivum auditoribus cibum suppeditet, profuturum ad vera incrementa vitae spiritualis. Institutione idgenus gaudens populus, non facile, in summa etiam temporum impietate, a religionis, piaeque vitae tramite deflectet. Praeter porro institutionem publicam multifarius Pastoribus animarum patet campus privata doctrina, ac monitis in fideles suos salutarem exerendi influxum. Huc imprimis pertinent Confessionalia, inaestimabilia illa, si debite administrentur, vitiorum repagula, et virtutum incitamenta; administratio item sacramentorum; persolutio aliorum Ecclesiae rituum; denique omnis pene, quae fideles in concreto aeque, ac singillative, cum Pastore suo conjungit, occasio. Nemo tam assidue versatur in medio populi, nemo tantam habet, suas eidem ideas communicandi opportunitatem, quantam Parochus. Et quantum vere aestimati amatique Pastores animarum in suos exerere possint influxum, non pauca, et antehac docuerunt, et actu testantur documenta. His instructionis

Digitized by Google

generibus coronam imponit, aut potius pro firmissimo fundamento deservit tenerae aetatis in doctrina salutari informatio. Necdum, Deo laudes, hae tenellae agri Dominici plantae nostris sunt ereptae manibus; hic adhuc abundantis segetis campus patet pro religione, et innocentia vitae. Tenella juventutis corda, ut saepius jam nos dixisse meminimus, omnium impressionum, mollis instar cerae, sunt capacia, et quas receperunt, retinent, nec tales facile, subsequis etiam temporibus penitus amittunt. Omnes humano generi bene volentes, omnes pro Deo, sanctaque religione ejus exaestuantes, gravissimi etiam et maximi viri, potissimam activitatis suae partem in indefessa tenerae pubis institutione collocandam arbitrati sunt; nec ullus alius labor salubriorem, et abundantiorem ferre potest fructum, quam haec circa parvulos sollicitudo; quos ipse Salvator noster tanta prosequebatur teneritudine, nec unquam ab suo accessu passus est prohiberi.

At vero, cum indubium sit ad rite explendum tam grave, tamque et natura sua delicatum, et varietate multiplex, institutionis genus, insignem cognitionum penum requiri: facile perspicitur, curatorem animarum prorsus assiduum esse debere in sacratiorum literarum studiis, in excolendis illis, quae theologicam culturam important, disciplinarum artibus. Verum quidem est Apostolos, et primos Evangelii praecones literarum apparatu passim fuisse destitutos, inque simplicitate verbi confutasse *sapientiam sapientum*, et per *stultitiam praedicationis*, ut ait Doctor gentium, *salvos fecisse credentes;* sed vero nobis ea, quae his data fuerunt, Spiritus dona extraordinaria, haud suppetunt; tantaque est inimicorum religionem impugnantium, hac praesertim aetate nostra, astutia; tanta armorum, huc applicari solitorum, diversitas; tanta indaginum, speciose contextarum, subtilitas: ut his succumbere persaepe debeat, cum ingenti bonae rei damno, sacerdos, optimi secus et

Digitized by Google

spiritus, et ardentissimi zeli, nisi insigni instructus sit cognitionum thesauro; ex quo, pro utilitatis neccessitatisque exigentia, desumere possit nova et vetera; sicque calumniantium et petulantium ora obtundere. Ad augendam porro hanc penum, praeter assiduam sacrae scripturae, inexhausti illius sufficientiae nostrae fontis, sanctorum item Patrum, et probatorum asceticorum, denique earum, quae stricte theologicae disciplinae compellantur, versationem, multum profecto confert ephemeridum pagellarum, genuino catholico spiritu animatarum, lectio; quae pagellae praeterquam quod perutilibus mentem ditent cognitionibus, animum quoque legentium religiosis nutriunt impressionibus, piis recreant affectibus, et veneratione studioque catholicitatis imbuunt. Cui quidem lectionis generi Clerum nostrum dioecesanum in dies magis incubiturum, tanto certius confidimus, quod scripti idgenus in patria quoque lingua nostra, ut dudum a bonis omnibus desiderabatur, edendi, conatus felicem videantur obtinere successum. Agite Fratres, Filiique dilectissimi, et pro modulo quisque suo, huc enitamini, uberem certe operae huic lectionis generi impensae, fructum reportaturi.

Quantacunque tamen fuerit Sacerdotis, et animarum Curatoris eruditio, quamcunque solers in studiis literarum intentio, immo quantacunque et sermonis facundia, et institutionis impertiendae fervor, ac diligentia: cuncta parum operabuntur, ad promovendos salutares religionis fines, reprimendamque temporis iniquitatem, nisi intemeratae ejusdem vitae exemplo succolentur. Vita sacerdotis, ut rite advertit quidam Theologorum, debet esse prologus eorum quae dicturus est, commentarius perpetuus eorum, quae docet, epilogus habitarum dictionum. Pulchre quoque in rem S. Gregorius: *Mundari prius oportet, et sic alios mundare: sapientem prius fieri, et sic alios facere sapientes: lumen fieri et sic alios illuminare: ad Deum accedere, et alios ad Deum adducere: sanctificari, et ita sanctificare: manus*

Digitized by Google

habere rectas, et sic indigentibus porrigere manus. Et alio loco: *Lex praedicatoribus imposita est, ut ipsi vivendo illuminent, quae loquendo suadere festinant: nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur.* Sed hoc in merito saepius jam Nostra Vobis sensa manifestavimus, Fratres, Filiique dilectissimi, nec hac vice materiae huic immorabimur diutius. Unum quin memoremus, intermittere non possumus. Quippe quantumvis Sacerdotem omnium virtutum christianarum speculum in se exhibere oporteat: increscenti tamen temporis huius impietati, nulla eum alia re efficacius posse obviare, quam tenera erga omnes, cumprimis autem suae curae commissos, charitate; et quidem charitate viva, et operatoria, quae ad cuncta spiritualia aeque, ac corporalia se exerat misericordiae officia. Ipse Salvator noster, qui benefaciendo transibat per vicos et civitates, hac sua immensa dilectione, hominum sibi devinciebat animos; simili charitate Apostoli, ac caeteri pene cuncti praecellentes Evangelii praecones, praedicationis suae fructus tutabantur; hac eadem virtute, ceu proprio charactere semper distinguebatur Clerus catholicus; sed et huic, ad cuncta sacrificia promptae charitati adscribendum est, quod Clerus gallicanus, in medio impietatum omnis generis non modo ab acrioribus illis, quae cum irreligione pari secus passu ambulant, sacerdotii persecutionibus, adhucdum immunis sit, sed et publica perfruatur veneratione, studio, affectu. Dilectio dilectione paratur, neque ei, modo genuina, constans, et vere christiana sit, diu resistitur.

Si haec realia sunt, et in veritate fundata Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, prout talia esse non facile a quoquam Vestrum inficiatum iri confidimus: facile perspicietis, oppido falli novos istos magistros, prurientes auribus, qui nulla altiore missione instructi, longe alia, ab his diversa, atque adeo his contraria Vobis suppeditant religioni

Digitized by Google

et Ecclesiae, his criticis temporibus, succurrendi, consilia. Intelligimus eos, qui existimant: in universali hac reformationum omnis generis contentione, nec statum ecclesiasticum pristino suo loco consistere, sed, salva dogmatum fidei, morumque integritate, secularium moribus debere conformari; idque non solum relate ad cultum corporis, vestitum, et conversationem, sed relate etiam ad ipsam regiminis dioecesani formam, et constitutionem; quam quidem in conformitate recentiorum idearum, ad democraticae cujuspiam legislationis normam exigendam cuperent, et potius civilium auctoritatum judiciis, quam propriae suae superioritati se vellent reddi obnoxios; arbitrantes, et indubitanter asseverantes: hoc pacto odia illa, disparata adminus studia, quae ecclesiasticum inter et saecularem status, indies increscunt magis, sufferri, fiduciam restabiliri, scandala in Clero evitari, meliori Cleri curati subsistentiae prospici posse, indeque manifesta etiam in religionem, et morum probitatem lucra dimanatura.

Quae sit nostra hoc in merito mens? satis Vobis constat Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, vel ex istarum, quas proxime evolutis mensibus ad Vos dimisimus, encyclicarum literarum Nostrarum tenoribus. Nec illic dicta hisce repetemus; aliqua tamen, vel ob gravitatem rei, supplementi instar subjungimus. Reformationis relate ad statum nostrum, moresque Clericorum, magnam omnino subversari necessitatem, tanto minus unquam negavimus: quanto amplior Nobis hanc ex ipso Episcopalis Nostri muneris exercitio cognoscendi suppetit occasio. Sed vero reformatio haec fieri debet in sensu legum, et institutionum Ecclesiae catholicae, ac secundum spiritum Dei, non secundum spiritum saeculi, et profanorum ejus placitorum. Duo hi spiritus repugnabant invicem inde a humani generis exordio. *Quicunque voluerit amicus esse huius saeculi*, ait S. Jacobus Apostolus, *inimicus Dei constituitur.*

Digitized by Google

Et dilectus Domino Apostolus Joannes: *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum non est Charitas Patris in eo.* Denique ipse Salvator haud dubitanter asseverat: *Si mundus vos odit; scitote quoniam me priorem odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Alterutrum itaque nobis eligendum est: vel servire Deo, et vocationi nostrae, secundum illum, qui in sacro regenerationis fonte, inque impositione manuum Presbyterii, nobis datus est, spiritum; vel, renunciando huic, aditum aperire alteri illi spiritui, qui teste Doctore gentium, *in doctrinis variis et peregrinis consistit, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* Quod adtinet ad fiduciam et affectum saecularium erga clerum; sat docet experientia, et quidem omnium pene temporum, et locorum: fidelem populum, omnesque probos, longe majori erga sacerdotem, qui habitu, gestu, omnique conversatione, ac vitae ratione sanctimoniam vocationis suae exhibet, modestiam in cunctis, gravitatem affabilitati junctam, sobrietatem, religiosam praeceptorum Ecclesiae, et sacrorum canonum observantiam praesefert, duci fiducia, majorique erga talem ferri et amore et veneratione, quam erga sacerdotem, liberae aurae captatorem, volubiles, levesque, gustus mundani in vestitu varietates, mollitiem in incessu ac gestu consectantem, minus castigatarum conversationum, clamorosarum societatum, et innumerarum istarum, quae indies magis invalescunt, dissipationum mentis, ac spiritus amatorem. Sic, inquam, populus fidelis, et probi, religiosique animi homines, de quorum approbatione et propensione magis nobis laborandum est, quam de aliorum liberalia, ut dici amat, proprie autem minus castigata, et sensualitati potius, quam solidae virtuti faventia principia consectantium; quibus haud

Digitized by Google

utique ingratum est, si in sacerdotio etiam reperire possint, qui vitae, agendique sua ratione quodammodo adprobent eam, qua ipsi incedunt viam; si non peccaminosam, laxam attamen certe, et ad successivam morum dissolutionem ducentem. Quamquam et hi ipsi, hujusmodi principiorum suorum socios sacerdotes verbis solummodo colant, in corde passim vilipendant, nec vera erga eos unquam ducantur veneratione.

Idem obtinet de coelibatu. Certe erga pastorem animarum, qui altiore sublimis suae vocationis fine, continentiae perfectae, per Ecclesiam depostae, legi se subjecit, et vitam agit vere spiritualem, fideles majori semper ducentur confidentia, quam erga virum, uxore, prolibusque circumsaeptum. Et eum, qui dubio hac in parte laboraret, relegamus ad missionum religiosarum historiam vel obiter percurrendam: perspiciet ex illa, unum pauperem, nec ulla alia re, quam Breviario suo instructum, sed castitate, Deique spiritu animatum virum, in exemplo S. Franciscum Xaverium, plures Christo lucrifecisse animas, quam cunctos pene diversarum Confessionum et sectarum missionarios, uxore, prolibusque onustos. Nec istud, ex praepediendis, quae per peccaminosam nonnullorum sacerdotum, licentiam in Ecclesiam manant, scandalis, desumptum argumentum magni esse potest, apud eum ponderis, qui novit paria, saepe majora adhuc illic oboriri scandala, ubi clerus coelibatus disciplinae non est obnoxius. Quippe, qui non valet, opitulante divina gratia, ad castimoniae, in coelibatu conservandae, puritatem eluctari; is quidem, connubii etiam vinculis irretitus, vix evitabit pares scopulos, in matrimonio pariter suppetentes, et magis adhuc perniciosos. Minime vero omnium subsistere argumentum, ex amore patriae desumptum, ipsa multorum saeculorum probat experientia; quae innumeris testatur documentis: recte catholicum clerum talia semper, et ubique pene terrarum, dedisse patriotici sui spiritus, suique in commune

Digitized by Google

patriae bonum studii, documenta, qualia frustra apud Confessiones alias, clerum uxoribus provisum habentes, quaesiverimus. Qua de re, qui solum recentiorem Protestantis Angli, Cobetii, de hac materia scriptum tractatum legerit, ac vel novissimos temporum eventus attentius observaverit, plene convincatur est necesse.

Quod demum ad istas altius memoratas regiminis ecclesiastici vellicationes adtinet: credite Nobis Fratres, Filiique dilectissimi, tamdiu Vos decora libertate, tamdiu publico aestimio, et honore perfruituros, quamdiu legitimae Vestrae superioritati ecclesiasticae fueritis subordinati. Separati ab hac, mox, dispersarum instar ovium, fietis in rapinam et devorationem quaerentium confusionem Vestram. Voces eorum, qui in ista ab Episcopo Vestro independentia, aureos Vobis libertatis, prosperitatisque montes pollicentur, non sunt aliud, quam voces Syrenum, dona Danaorum, ipsis apertis inimicitiis et persecutionibus magis pertimescenda. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Observate, num amici hi Vestri vera erga Deum sint pietate, veroque religionis sensu animati? num virtutum christianarum studio dediti? num assidui in Ecclesia, in Sacramentorum participatione? Si nihil horum, sed contraria forte advertitis: credite potius operibus eorum, quam verbis: qui religionem ipsam contemnit, aut saltem indifferenti erga eam est animo, non potest sincero erga ministros ejus ferri studio, et affectu. Non desunt, credite inquam Nobis, hos inter, qui separare vos vellent ab eo, cui sciunt curam esse debere de vobis, ut agere Vos possint in dispersionem. Mulierculis Vos vellent, et caterva prolium, mox fortasse, ut non raro videmus apud alias Confessiones, panem domatim emendicatura, circumdare, ut tanto certius Vestris possint imminere cervicibus. Vestras novae libertatis principiis imbuere volunt mentes, ut tanto efficacius sua, nec Ecclesiae nec patriae, bene vero sibi ipsis profutura, propagare queant studia.

Digitized by Google

Sed ab his etiam praescindendo, quis ignorat regiminis ecclesiastici normam non provenire ab homine, neque compositam esse secundum hominem, sed ab ipso divino suo auctore et fundatore esse constitutam; quae octodecim jam saeculorum decursu, ipso suo, quam ad constabiliendam omnimodam humani generis prosperitatem exeruit effectu, abunde contestata est praestantiam, divinamque originem suam; quae nullam in essentia sua subire potest mutationem; sed integra illibataque perseverare debet in finem usque saeculorum. Ex quo patet: si duas inter potestates et regiminis formas, quippe civilem et ecclesiasticam, accomodatio ad invicem desiderabilis videtur: eo, nobis saltem sacerdotibus, esse elaborandum, ut ea potius, quae humanae nititur auctoritati, quae innumeras jam experta est phases, nec unquam fixa consistit, sed centies pertentata axiomata, novis rursum, ac persaepe admodum periculosis, subjicit experimentis, accommodetur alteri, ei quippe, quae divino innititur fundamento, semperque sibi constans, semper humano generi fuit salutaris, quam vicissim.

Neque tamen haec quisquam, ut jam innuimus, eo sensu, a Nobis dicta existimet, quasi non censeamus, apud nos quoque reperiri, quae mutationem deposcant, aut emendationem. Sic, ut vel exempli causa aliqua memoremus, Seminarii Cleri junioris, postremis his eventibus ad precarium prorsus statum recidentis, consolidatio, magnopere certe provocat sollicitudinem nostram; benemeritorum, ac in cura animarum viribus et aetate deficientium sacerdotum, sorti, ut quo fieri potest melius consulatur, charitatis ratio postulat; ipsi etiam Curatores animarum, praesertim autem non pauci adhuc Cooperatorum, tam tenui gaudent dotatione, ut ea certe nec convenientiae, nec vocationis sacerdotalis rationibus respondeat; his ut omni quo licet meliori modo subveniatur, vehementer est desiderandum; quamvis in ea inciderimus tempora, quae non magnam no-

Digitized by Google

bis, hac in parte, possunt fiduciam ingenerare: cum ubique fere gentium, etiam catholicarum, de minuendo potius, quam ampliando Ecclesiae, ac sacerdotii patrimonio, videamus cudi consilia. Sunt praeterea multa quoad cultum divinum, quoad catecheticam prolium institutionem, quoad caeteras muneris pastoralis, debito cum fructu exercendi, partes, quae mutationem in melius non admittunt solum, sed et vehementius deposcunt. Non minus salubriter constitui possunt, quae vividiorem in nobismet ipsis excitent vocationis nostrae sensum, pietatem alant, zelum incendant, ac mores nostros omnemque vitae nostrae rationem magis ad praescripta sanctionum canonicarum exigant, nosque per id et Deo, et hominibus reddant acceptabiliores. De his, hisque similibus lubenter Vobiscum, Fratres, Filiique dilectissimi, utprimum temporum adjuncta permiserint; inibimus consilia Nostra. Sed haec fieri debent in mutua cum caeteris Praesulibus cointelligentia; purissima salutares religionis fines, id vero est gloriam Dei, et salutem animarum promovendi intentione; reflectendo ad spiritum Ecclesiae nostrae, ad exigentias locorum et temporum; denique omni cum sobrietate, eoque modo, ut exinde non deformatio fortasse, sed veri nominis reformatio status nostri subsequatur.

Et haec sunt, quae ingruente rursum sacro Quadragesimae tempore, Vobis Venerabiles Fratres et Filii dilectissimi, proponenda censuimus; confidentes in Domino: Vos eadem, et si longiuscula videantur, attente expensuros, et aditum iis in mentes, cordaque Vestra aperturos. Non enim procedunt ab aliquo ex grege luporum, de quo suspicari possetis, pellem induisse ovis, ut in interitum Vos queat propellere. Sed procedunt a Vestro, quantiscunque fragilitatibus obnoxio, sed tamen Episcopo, qui probe novit, sibi, non post multum temporis, rationes reddendas venire justo judici villicationis suae; qui nil ferven-

Digitized by Google

tioribus exoptat suspiriis, quam ut quo plures ex iis, quos in via salutis dirigendos manibus suis credidit supremus rerum omnium arbiter, in conspectum possit adducere Agni; felices possit reddere, nec pro tempore solum peregrinationis huius, sed et in longam illam, quae nos exspectat aeternitatem. Neque vero haec locuti sumus ex proprio tantum ingenio, et arbitrio Nostro, sed ex sensu Episcopatus, atque adeo ipsius Ecclesiae catholicae, quae supparem semper in conciliis, legibus, et canonibus suis expressit sensum. Expresserunt eundem sensum nuper Praesules Germaniae Vürceburgi congregati; expressit imprimis Caput Ecclesiae nostrae, magnus ille Pontifex, Pius IX., qui maluit sedes suas deserere, et exilii calamitates experiri, quam in ullam rem concedere, quae non esset consentiens Ecclesiae spiritui, suaeque sublimi ac sanctae vocationi. In hac Episcopatus, per totum terrarum orbem dispersi, inque pulcherrima cum capite suo communione constituti, consensione cubat certissimum veritatis criterium. In eadem consensionis unitate radicatur etiam vis illa, contra quam nulla saeculi corruptio, sed ne ipsae quidem portae inferi possunt praevalere. Haec est acies illa bene ordinata, et formidabilis, contra quam nulla, inimicorum, tela possint victoriose depugnare. Et hinc etiam est livor, ingensque odium repetendum malorum, nullis parcentium artibus, quibus eam lacessiri posse arbitrantur. Quarum quidem artium his temporibus una est ex praecipuis, quod ipsos sanctuarii lapides, id vero est ecclesiasticos viros, libertatis pollicitatione, et variis sensualium illiciorum speciebus, studeant pervertere; promittentes iisdem, adinstar ejus, qui mendax fuit ab initio, sublimem quemdam scientiae et sapientiae gradum, commodos jucundosque dies, eos vero, qui Dei et Ecclesiae praeceptis, genuinoque spiritui adhaerent, tanquam Jesuitas, obscurantes, medii aevi caecitate percussos, irrisui ac vilipen-

Digitized by Google

sioni publicae objicientes. Nolite Dilectissimi credere omni spiritui, nolite inimicis Ecclesiae illam etiam adjicere satisfactionem, ut in sua Vos constringant retia, deque felici astutiae, et improbitatis suae effectu possint gloriari. Audite potius voces eorum, qui legitime praesunt animabus Vestris, nec ulla privata sua, sed Vestra, Vestraeque curae commissorum fidelium quaerunt emolumenta. Sic fiet, ut, quacumque temporum perversitate non obstante, vitam degamus honoratam, fiducia, amoreque perfruamur bonorum, nec in eam, quam inimici religionis nobis protendunt, incidamus servitutem, et exinanitionem. Sed et, si scriptum esset in divinis decretis, ut gravioribus adhuc exponamur malis, lacessamur persecutionibus, exuamur iis, quae ab antenatorum pietate in nos derivata sunt, honorum ornamentis, immo in duram incidamus egestatem: manebit tamen nobis, purae conscientiae testimonium, quod quidem omnes exsuperat huius mundi thesauros; manebit veneratio proborum, quodve caput rerum omnium est; manebit nobis merces illa magna nimis, quam promisit fidelibus servis suis Is, qui nec falli, nec fallere potest. Caetera, testis est Nobis Deus, quod cupiamus omnes Vos in visceribus Jesu Christi. Et hoc oramus, ut charitas vestra magis et magis abundet in scientia, et in omni sensu; ut probetis potiora; ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiae, per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei, Gratia Vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Amen. Datum Zagrabiae Dominica Septuagesimae in 4. Februarii incidente, anno Domini 1849., Episcopatus Nostri Duodecimo.

Digitized by Google

ENCYCLICAE QUADRAGESIMALES DE ANNO 1850, QUIBUS CLERI DIOECESANI ATTENTIO AD DAMNA, RELIGIONI PER TRISTES RECENTIORUM TEMPORUM EVENTUS ILLATA, PROVOCATUR.

Venerabiles Fratres, Filii dilectissimi!

Dum gravis tempestas, quae copiosis imbribus, validis ventis, grandine et fulminibus desaeviit in regionem aliquam, recedit, et benefici solis radii iterum illucescunt, optataque aëris malatia revertitur: curius rerum suarum oeconomus sollicite perlustrare solet campos suos, aedificia, omneque possessorium suum indagando: num, quaeve in iis damna emerserint? et si talia evenisse compererit, diligenter inquirit modos, quibus vitiata reparare, destructa sarcire, cuncta denique in debitum ordinem possit reducere? Noster quoque ager, Fratres, Filiique dilectissimi, grandem novissime expertus est tempestatem; ager inquam ille, quem excolendum tradidit manibus nostris summus rerum omnium arbiter, qui cuncta creavit, cuncta conservat et gubernat verbo virtutis suae. Quippe nemo unus, vel aliqua oculorum acie praeditus, non videt, quod febris ista, quae proxime praeterlapso biennio, vix audito antehac exemplo, corripuit mentes animosque hominum, non tantum thronos regnantium furiose exagitaverit, non tantum in civiles authoritates varie desaevierit; non tantum basim, scopumque civilis omnis societatis, nimirum securitatem vitae, honoris, proprietatis, periculosissime succusserit: sed et tristem in ea, quae ad religionem et morum

Digitized by Google

probitatem pertinent exeruerit effectum. Nemo inquam unus non videt, quod quemadmodum ex ingenti hac animorum effervescentia integri profluxerunt humani sanguinis rivi, centena hominum millia partim sanitate, et membrorum suorum integritate privata sunt, partim ad extremae egestatis gradum detrusa, quemadmodum item abrogatis legum politicarum institutis, omnia novarum constitutionum agitationibus completa fuerunt: sic religioni etiam, et sanctimoniae vitae christianae non levia inflicta sint vulnera, non exiguum, nec omnino periculo vacuum in rebus etiam fidem et Ecclesiam nostram concernentibus novationis studium sit subsecutum. Vel an negare quis ausit, impiis, nec catholicae solum et revelatae, sed ipsi adeo naturali religioni repugnantibus principiis, cuncta pene recentiori hoc tempore inundata fuisse? An non perniciosissima Indifferentismi, Materialismi, immo Atheismi placita publice venditabantur in innumeris prope scriptis librisque, in ipsis adeo legislativis nationum congressibus? An non acre Ecclesiae, authoritatique ecclesiasticae indictum est bellum, illudque novis semper ac novis stratagematibus, et armorum generibus renovatum? An non ab eo inde tempore per eos, qui se cultiores reputant caeteris, magis etiam quam antehac, divini cultus et sacramentorum frequentatio negligitur? In ipso adeo rurali populo sancta illa vitae christianae simplicitas, et timoratae conscientiae puritas amplioribus semper progressibus intervertitur, variaque harum vice invalescit corruptela morum et dissolutio? Sane horum omnium veritatem concordia bonorum judicia, et invalescentes in dies querelae, ipsaque pene quotidiana experientia confirmant sic, ut negare eam non possit, nisi qui aut oppido caecus sit, aut ita praestricta oculorum acie, ut lucem a tenebris nesciat discernere.

Verum quidem est, benignitate supremi Numinis, cui nunquam sufficientes hac in parte reddere possumus gratiarum actiones, heroica item militiae nostrae virtute, et inconcussa

Digitized by Google

fidelitate, febrim istam rebellionis compressam esse, sanioremque redire caepisse hominibus mentem: sed vero neque omne adhuc recrudescentiae malorum repressum est periculum, neque acerbae eorum sequelae sublatae. Immo vero perstant hae jugiter et augebuntur amplius; ac ipsae illae convulsiones dupplicato impetu revertentur indubie, nisi concordibus bonorum studiis, irremissisque conatibus efficacia in obversum adhibita fuerint remedia, quod quidem ut fiat, ad omnium, qui humano generi bene cupiunt, obligationem tam manifeste pertinet, ut nulla hanc in rem demonstratione opus esse videatur. Et vero, si tenet haec obligatio relate ad alios: multo etiam magis tenere debet relate ad nos ministros altaris altissimi, et praecones Evangelii, qui videlicet ad id potissimum, immo unice sumus destinati, ut divini verbi virtute, propriaeque vitae nostrae exemplo, retrahamus ab erroribus et vitiis homines, eosque ad veritatis agnitionem, et sanctimoniam vitae, id vero est: ad eam semitàm adducere, cum proprio etiam vitae nostrae sacrificio enitamur, qui ad temporalem aeque ac aeternam ducit prosperitatem. Itaque sacrosancti muneris nostri est: remittente nunc tanta ista, tamque periculosa tempestate, diligenter indagare, et damna, credito manibus nostris sancto fidei, morumque deposito illata, et solerter circumspicere, quae ad illa tollenda, aut saltem mitiganda, praepedienda item in futurum conducere possint remedia?

Examini porro huic instituendo nullum magis accomodum judicari potest tempus, quam sit istud e vicino ingruens sacri jejunii quadragesimalis; quod nimirum peculiarius spiritualibus est laboribus destinatum; quove intendere debemus zelum nostrum pastoralem, omnemque ad producendos Evangelii fructus contentionem duplicare; quo omni meliore modo *dissolvere* debemus ut verbis utar Isaiae, *colligationes impietatis, solvere fasciculos deprimentes, dimittere eos, qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpere.* Jejunium ut

Digitized by Google

bonum sit et salutare, teste S. Bernardo, *non solum ablutio* esse debet *peccatorum*, *sed et exstirpatio vitiorum; non solum obtinere* debet *veniam*, *sed et mereri gratiam*, *non solum delere peccata praeterita quae commisimus*, *sed etiam repellere futura*. Huc igitur Vos paterno cum affectu invito, Fratres, Filiique dilectissimi. Ac quamvissatis mihi persvadeam, Vos Ipsos, utpote in medio mapalium Vestrorum degentes, et infirmitates ovium apprime agnoscere, et aptissima iis medendi deligere posse remedia: tamen ne desim ei, quae mihi quoque, nec in parva mensura obtigit, sollicitudini pastorali, aliqua Vobis in rem consilia, harum literarum tenore volui suppeditare: quae adjuvare Vos forte poterunt in salutari hac operatione Vestra, et suppeditare materiam specialibus fidelium curae Vestrae creditorum indigentiis accomodandam.

Imprimis generalis instar cynosurae deservit axioma: eum, qui efficacem malo medelam admovere cupit, fontes ejus, et causas debere indagare et cognoscere. Mali, de quo nobis hic sermo est, istius videlicet, quae mentes hominum his temporibus nostris corripuit summae licentiae, ac divinas, humanasque leges intervertendi audaciae, causas varii varias statuunt. Limites excedere deberem epistolae, si opinionum hanc varietatem examinare, aut saltem recensere vellem. Sed neque existimo id necessarium esse, cum plane mihi persvadeam, Vos Fratres, Filiique dilectissimi hac in parte eandem mecum tenere sententiam: quippe praecipuam hujus infelicitatis nostrae causam eo esse referendam, quod apud multos penitus evanuerit, apud alios vehementer debilitata sit fides in Deum, et Jesum Christum, filium ejus, Magistrum ac Redemptorem nostrum; quod item apud eos etiam, qui necdum fidei christianae naufragium passi sunt, in ipso adeo rurali populo, practica quaedam invaluerit, magisque in dies invalescat incredulitas; quae necdum quidem pernegat veritatem principiorum et dogmatum religionis, sed, his neglectis, latam viam pandit omnis generis concupiscentiis, et

Digitized by Google

fraena laxat passionibus. Nimirum divina illic sperari non potest benedictio, ubi a benedictionis omnis, omnisque prosperitatis fonte receditur: *Si dereliqueritis Deum, derelinquet Vos*, jam antiquitus annunciatum fuit genti Hebraeorum. Et apud Isaiam legimus: *Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium.* Ac reapse testantur sacrae literae, totaque ejusdem gentis Hebraeorum historia: eam, quotiescunque a cultu veri Dei recessit, in varias incidisse calamitates; neque citius cessasse immissas ei castigationes, quam ubi contrito corde reversa est ad eum, quem dereliquit Deum Creatorem suum. Sed monstrat id ipsa etiam ratio naturalis. Ubi enim cessat, aut magnopere debilitatur fides in Deum omniscium, omnipotentem et justum; timorata etiam illa conscientia, quae a vitiis deterret, inque via virtutis conservat homines, evanescere debet aut consopiri. Ubi spes beatae aeternitatis non alit, non animat mortales; ibi cuncta eorum studia omnemque contentionem ad temporalium bonorum, et caducarum voluptatum consectationem dirigi est necesse. Ubi supremi rerum omnium Creatoris, conservatoris et gubernatoris Dei auctoritas vilipenditur; ibi regiae dignitatis, aliarumque humanarum potestatum respectus, magistratuum honos, legum obedientia subsistere non potest. Ubi mens humana, superbia elata, divinis praeceptis detrectat paritionem; ibi omnis humilitatis sensus, adeoque mater et fundamentum virtutum evanescat oportet. Ubi exulat amor supremi numinis, exulat certo omnis etiam veri nominis charitas proximi, et omnes istae hominum, fide carentium, de proximi dilectione declamationes non sunt aliud, quam strepitus aeris sonantis, et sonus cimbali tinnientis; quod quidem facta eorum satis demonstrant. Verbo, ubi deficit fides religiosa, ibi carnalis homo invalescit cum omnibus corruptae suae naturae concupiscentiis; ibi virtutes exulant, vitiorum criminumque abundantissima seges, et cum hac omnis generis

Digitized by Google

calamitates humanae, inundant familias, urbes, provincias. *Mentis humanae acies invalida*, ait Sanctus Augustinus, *in tam excellenti luce non figitur nisi per justitiam fidei emendetur.* Et alibi: *Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species; et tamen quidquid est in arbore pulchritudinis vel decoris, ex illa procedit: sic ex fidei humilitate quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit.* Quae cum ita sint, nil mirum concordem in eo semper fuisse omnium legislatorum, bene humano generi volentium, omniumque sapientum politicorum sententiam: sine religiosa fide, societatem humanam subsistere non posse, minus aliquem prosperitatis gradum posse attingere.

Tenemus itaque principalem calamitatis hujus causam; una perspicimus, nos malorum, quae nos premunt cessationem aut imminutionem, non aliter posse expectare, quam si fides religiosa, et quidem illa quae sola plenae superstructa est veritati, quae sola cuncta sanctioris vitae in se complectitur subsidia, quippe christiano-Catholica, restaurata rursum fuerit in mentibus, animisque hominum; si beneficum suum iterum in humanam societatem exeruerit influxum; si pristinum suum recuperaverit vigorem. Huc igitur nobis est omni virium contentione enitendum; huc diurnis nocturnisque studiis elaborandum.

Quodsi jam de mediis quaeratur sublimem hunc scopum assequendi; in genere non aliud possum indicare, quam quod innumeris propemodum vicibus, et antehac Vobis commendaveram, Venerabiles Fratres, Filii dilectissimi; quippe fidele, zelosum, atque adeo fatigari nescium sanctae vocationis Vestrae implementum. Nimirum etsi non omnia, hoc etiam in genere, a nobis dependeant sacerdotibus: tamen et hodiedum tanta inest vis Ordini nostro, ut is, adspirante divina gratia, pene incredibilia possit operari, si modo insigni scientiae sanctorum, et intemeratae vitae exemplo illum jungat reli-

Digitized by Google

gionis zelum, qui nil nisi caeleste sapiat, nil nisi Dei gloriam et salutem sitiat animarum. Est id fundatum in promissione divina, inque ipsa rei natura, est etiam multifaria experientia confirmatum. Quippe et hodiedum eae fidelium Communitates, quae praeclarum, et zelo domus Dei exaestuantem nactae sunt animarum curatorem, ab aliis se passim distingvunt religionis sensu, et probitate morum, licet in medio sint positae malignitatum omnis generis. Sed integrae etiam provinciae, quarum Clerus scientia, virtute et spiritu eminet, adhucdum inundanti isti corruptelae pergunt resistere. Haec sunt arma illa, quae primis Ecclesiae saeculis admirabiliter vicerunt perversitatem mundi; iisdem nunc etiam victoriose depugnatur adversus spirituales nequitias tenebrarum harum; et sicut verbum Dei alligari non potest, sic nec potest, vis ejus ullis intercipi seu machinationibus hominum, seu abundantia iniquitatis.

Hoc inquam, si de remediis in genere sermo sit, tanquam certissimum, efficacissimumque vobis commendare possumus, Fratres, Filiique dilectissimi. Si tamen specialia magis deposcitis: aliqua Vobis per summos quodammodo apices designabimus; quae quidem opinione Nostra, et temporis nostri respondeant adjunctis atque indigentiis; et divino adspirante numine, non possint non salutares fructus operari.

Imprimis in Vestris ad concionem sermonibus, in Confessionali, in institutione privata, omni denique occasione eo praecipue elaborare debetis, Fratres, Filiique dilectissimi, ut homines de veritate, divina authoritate, sublimitate, utilitate insuper, immo summa ad omnigenam prosperitatem nostram necessitate religionis Christiano-Catholicae convincantur. Itaque motiva, quibus haec persvasio nititur, quo fieri potest frequentius, omnique cum soliditate, cumque argumentorum, auditorum captui accomodorum selectu adducenda; dubia quae suboriri possunt dissipanda; objectiones unde unde promanantes, refellendae sunt; denique nihil quod horsum condu-

Digitized by Google

cere possit, est negligendum. Quod, si jugiter, omnique cum diligentia, debita item cum praeparatione, et vera spiritus unctione factum fuerit: dubium non est, quin fides religiosa majora in dies captura sit incrementa, et theoretica ista non minus, ac practica incredulitas reprimenda, debellanda. Patet exhinc, quanta sint dictionum, quas dogmaticas vocamus, necessitas. Moralitas et sanctimonia vitae ultimum utique constituunt scopum omnis institutionis religiosae; sed haec vivae de dogmatibus persvasioni innititur, immo ex hac quodammodo sponte profluit: eo itaque praecipue enitendum est, ut haec mentes occupet hominum, et penetret corda, indubium uberemque moralitatis fructum operatura. Applicatio ad mores in dictionibus sacris ordinarie corollarium tantum esse debet propositorum demonstratorumque dogmatum; quae propterea etiam a magistris homiletices, nomine digressionum moralium compellatur. Nec unquam magnum aliquem producent effectum quamcumque fervidae sacrorum Oratorum contra peccata in genere, aut etiam in specie declamationes, si eae in mentes, cordaque cadant hominum, fide destituta. Semen, ut docuit Salvator noster amantissimus, germinare, et ferre fructum non potest, nisi cadat in terram bonam; bona autem recipiendo virtutis semini terra non est, nisi anima, firma, vivaque fide animata.

Porro cum tristis doceat experientia, homines perditos in dies magis inundare mundum omnis generis libris, scriptisque, ad succutiendam revelatam fidem directis, nec esse prope jam aliquod genus disciplinae, quo non abutantur in impium hunc finem religionis inimici; cum praeterea nullibi fere desint malevoli, qui et privatis discursibus suis, et publicis quandoque sermonibus religiosam in populo fidem succutere tendunt, et incredibilis pene quandoque eorum hac in parte appareat audacia et vafritia: Curator animarum indefessus esse debet in fidelibus suis, a morsibus luporum idgenus praemuniendis, sanandisque, si quae illis jam inflicta

Digitized by Google

compererit, vulneribus. Omni occasione, et publice et privatim dehortari debet suae fidei creditos a perniciosorum librorum ac foliorum lectione, iisque et consilio, et quoad saltem licet, opera sua assistere, ut loco talium, aliorum potius se impendant lectioni, ex quibus nimirum incrementa capere possint religiosae suae fidei, virtutum item, et tranquillitatis animae suae. Debet item attentos reddere, eos cumprimis ex fidelibus suis, quos in proximiore perversionis periculo constitui observaverit, ne omni credant spiritui, sed prius dispiciant, num tales ex Deo sint? ex Deo autem esse non posse declaret, qui iis adimere nituntur id, quod summum est, atque adeo unicum et temporaneae et aeternae felicitatis fundamentum, fidem videlicet et innocentiam vitae.

His paris, aut fortasse majoris etiam momenti est indefessa circa religiosam pubis succrescentis educationem sollicitudo. Non pauci proborum prudentiumque virorum existimant, adultiorem aetatem hominum in Europa vix amplius ad eam semitam plene reduci posse, quae tendat ad vitam pie, tranquille et beate degendam, sed omnem eo esse curam impendendam, ut per aptam juventutis educationem paretur populus novus, Deo placiturus, id est, genus humanum hoc pacto funditus quodammodo restauretur. Et certo asseverationi huic, mea etiam opinione, multum inest veritatis. Quidquid caeterum hac de re videatur; id indubium est: nullo unquam tempore magis fuisse exoptabile, magisque necessarium, ut juventutis religiosae, et adcuratae educationi prospiciatur, quam hoc recte tempore nostro, quo parte ab una tantopere necessaria est melioris succrescentiae assecuratio, parte vero ab altera quivis agnoscere debet, eam, quam deploramus principiorum, morumque coruptelam ingenti mensura in ipsam etiam penetrasse juventutem. Propriis quippe usurpamus oculis, quam frigide passim per juventutem tractentur ea, quae ad divinum cultum, pietatisque christianae exercitium pertinent? quam remisse, et perfunctorie per eam

Digitized by Google

frequententur Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae? Quomodo laxata sint relate ad scholasticam quoque disciplinam fraena? An igitur mirum videri possit, magnam juventutis partem superbia tumidam, quamvis pene dedignari authoritatem, detrectare obedientiam, ac in omne ruere licentiae et dissolutionis genus? An non inauditum nuper admodum superviximus spectaculum, ut in maximis plane Metropolibus, studiosa juventus dominium, rerumque publicarum sibi arrogaret arbitrium; nec erubescerent urbes integrae leges recipere ab iis, qui primum discere debebant, ut, accedente experientia, utilem aliquando possint patriae suae operam navare? Nil inquam mirum accidere talia, si modernae educationis partim neglectum, partim perversas rationes attentius consideremus. Certe vel iis adhuc, quibus nos juventutem nostram egimus, temporibus, dispar longe cum pube scholastica agendi ratio obtinuit, quam obtineat de praesenti. Sed alia etiam domi juvenibus suppetebant virtutum exempla. In multis civium, ruricolarumque domibus preces quotidianae passim in communi persolvebantur, procul ab eis fuit omnis impietas, procul proterva ista Dei, ac Ecclesiae praeceptorum praevaricatio; procul infelix mentes, cordaque juventutis depopulans scandalorum abundantia. E quibus impatescit, nil certius ad incumbentem nobis obligationem pertinere, quam catecheticam prolium institutionem, tum vero educationem ejus in scholis, omni complecti sollicitudine nostra, nec ullis hac in parte parcere fatigiis, ulli contentioni. Patet una summa certe laude dignum esse zelum illorum sacrorum Curionum, qui per possessiones, pagosque filiales, probatae moralitatis, beneque in doctrina christiana instructas utriusque sexus, personas ad colligendam in privatis domibus juventutem, instituendasque illic correpetitiones catecheticas solent deligere. Pariter omnem laudem merentur illi animarum Curatores, qui localium scholarum defectum eo sarcire adnituntur, quod juventutem ad proprias parochiales

Digitized by Google

aedes convocent, ibique eam tum in doctrinae salutaris principiis, tum in aliis etiam utilibus cognitionibus, uti lectione, scriptione, primis arithmeticae, et oeconomiae ruralis elementis instituant. Hac certe occupatione nihil vel cogitari potest seu statui ecclesiastico convenientius, seu utrique rei publicae fructuosius. Nec juvat obvertere institutionem, educationemque in scholis, optatum effectum haud posse producere propterea, quod bonae, quas juventus in schola accipit impressiones, per mala domestica exempla enerventur. Recte enim ideo solertius sunt parvuli in scholis instituendi, ut malis idgenus, quae domi vident, exemplis possint resistere. Et ipsa omnino experientia docet, bene in scholis institutas proles saepe non tantum manere immunes a contagione domesticae corruptelae, sed non raro in adultiores quoque personas, ipsos adeo parentes suos salutarem exerere influxum; ut omnino tales quandoque scholares Missionariorum quodammodo obeant vices, magnoque hac in parte zelosis Curatorum animabus subserviant solatio.

Praeter haec, quae ego in ordine ad restabiliendam religiosam fidem praecipui momenti esse existimo, attentum esse oportet Curatorem animarum ad ea praesertim vitia, quae pro locorum, temporumque adjunctis, prae caeteris invalescunt in peripheria quam incolit, aut Parochia sua. Certum enim est variis temporibus, variisque in locis jam haec, jam illa vitia, tamquam infelicis alicujus consvetudinis vehiculo propagari; quae nisi peculiari Parochi studio reprimantur, breve intra tempus, enormem in moralitatem inducunt stragem, et eam, de qua nobis sermo est, practicam incredulitatem vehementer adaugent.

Tale in specie, relate ad patriam quoque nostram, est ista invalescens altiorum authoritatum vilipensio, contemptus legum et inobedientia, nec levis ad laedenda aliena jura et proprietatem propensio. Certe inter tristia revolutionalium harum convulsionum consectaria non postremum locum tenet,

Digitized by Google

quod ipse ruralis populus noster, tantopere antehac reverens superioritatis suae, tamque conscientiose jura, et proprietatem alienam respiciens, non exigua sui parte, ab indole majorum suorum et institutis desciscere incipiat, pluraque publicae inobedientiae et violentiarum per decursum postremi biennii patratarum enata sint exempla, quam antehac lapsu aliquot lustrorum. Sequelae hae sunt repentinae istius, et spuriae mentium illuminationis, quae instar ignis fatui tantopere praestrinxit hominum oculos, ut veram libertatem, fraternitatemque a falsa illa atque perniciosa, quae non procul distat a turpissima servitute, et tyrannide, distinguere non possint. Nec uspiam desunt malevoli agitatores, qui falsos hos rudioris praesertim plebis conceptus variis succolant artibus, et imbecillitate ejus in propria sua commoda, finesque, persaepe perniciosos, abutuntur. Nostrum itaque est, Fratres Filiique dilectissimi, omni opportuna occasione, veros fidelibus nostris ingenerare conceptus libertatis, aequalitatis et fraternitatis; exponere et inculcare obedientiae erga legitimas quasvis authoritates officium, proprietatis omnis sanctimoniam, quamve divinis aeque ac humanis omnis temporis, ac omnium gentium legibus, ipsi naturali justitiae atque honestati adversum sit, aliena laedere jura, et involare in ca, quae per alios legitime possidentur. Claris insuper verbis, petitisque ex sacris literis, ipsa etiam humana ratione argumentis demonstrari debet hominibus et explanari: obedientiam superioritati ac legibus debitam, principium item proprietatis, fundamentum constituere omnis humanae consociationis, nec sine his ullam, relate ad pauperiores etiam hominum classes, dari posse securitatem et prosperitatem. Non dicat autem quisquam, haec non ad nostram ecclesiasticam, sed ad politicam sphaeram pertinere, nec proinde talibus se immiscere debere Curatorem animarum. Dum enim reverentiam erga superioritatem, et obedientiam erga altiora jussa, legesque praedicamus, non agimus aliud, quam quod

Digitized by Google

egit Petrus Apostolus dum dixit: *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum: sive regi qua praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis;* quodve egit Doctor gentium, dum scripsit ad Hebraeos: *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis;* item ad Romanos: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi a Deo.* Haec igitur inculcando, divinas promulgamus leges, easque contra malevolas humani ingenii detorsiones, pro incumbente nobis munere defendimus, vindicamus. Aliud foret, si sacerdos et orator sacer partem capere vellet in agitationibus temporis relate ad institutiones politicas, regiminum formas, alia hujusmodi, quae utique semper abesse debent ab instituto, ubi cuncta ad aeternam diriguntur hominum felicitatem, nec proinde civiles, aut politicae opiniones, alium penes ministros religionis subire possunt respectum, quam quatenus finem illum aeternum vel juvant et promovent, vel e contra remorantur et impediunt.

Alterum, quod his recentissimis temporibus, multum apud ruralem populum nostrum invalescere videtur vitium, est fuga laboris, et non parva ad segnitiem propensio. Quippe non absque moerore observamus, in nonnullis partibus populum ruralem insigne istud, suae a praestandis dominio terrestrali gratuitis laboribus relevationis beneficium, adeo non convertere in propriae rei familiaris utilitatem, ut potius sua quoque tenuta negligentius colat, quam coluerit antehac. Res haec non modo in temporaneam patriae prosperitatem perniciosum exerere debet influxum; sed ex morali quoque, ac religioso obtutu, non potest non pessimas producere sequelas. Nimirum otium jam suapte natura feracissima est mater peccatorum. Tum vero invalescens desidia arrodit facultates hominum, paupertatem inducit et egestatem, ac sterilioribus cumprimis annis, facile famem etiam et inediam potest provocare; quae mala totidem itidem sunt immoralitatis fontes, immo maxima quandoque progignere so-

Digitized by Google

lent flagitia. Haec itaque frequentius ob oculos ponere debetis fidelibus Fratres, Filiique dilectissimi, eaque, et sequelas eorum vividioribus depingere coloribus, ac aptis captui ipsorum succolare argumentis. Dicite in specie: otium Deo esse exosum, cum teste beato Job homo nascatur ad laborem. Dicite: ipsum magnum illum gentium Apostolum labore manuum suarum sibi agendae vitae procurasse subsidia, quemadmodum scribit ad Thessalonicenses: *Quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione die ac nocte operantes, ne quem Vestrum gravaremus.* Item: *Si quis non vult operari non manducet.* Allegate etiam illud Ecclesiastis: *Melior est qui operatur, quam qui gloriatur et eget pane.* Dicite porro: vos non causa propriae utilitatis, aut dominiorum terrestralium loqui, sed sincero ipsorum, fidelium quippe Vestrorum, et materialia et spiritualia emolumenta promovendi studio: desiderare quippe, ut quo plura ipsis suppetant, et vitae honeste degendae, et prolium curatius educandarum, et christianae erga miseros et afflictos exercendae charitatis subsidia; desiderare, ut orantes et laborantes, vitam agant Deo placentem, et Christiano Catholicae religionis praeceptis conformem. Denique dicite: se parum gratos erga divinam benignitatem, quae hoc ipsis grande sane concessit beneficium exhibituros, maleque collatae in se optimi Regis gratiae responsuros, nisi omne temporis momentum, quod antehac in labore dominiali erat exantlandum, in meliorandam propriam suam familiarem rem impenderint. Quae quidem desumptis etiam ab aliis nationibus, aut alterius labii hominibus, imprimis compositarum ex Germanis communitatum exemplis, egregie poterunt succolari; utpote qui unice industria et infatigabili solertia sua, quodve favore legum sibi concesso prudenter in propria uti sciant commoda, passim rem suam oeconomicam ad florentem sciunt statum deducere.

Digitized by Google

Cum hac ad incuriam et segnitiem propensione pari quodammodo passu ambulat infelix, ad excessivum liquorum spirituosorum potum, proclivitas. Quam abominabile hoc sit, et moralitati aeque, ac corporis valetudini, familiari item rei perniciosum vitium? certius Vobis constat, quam ut per me debeat demonstrari. Certe vix aliquid cogitari potest dignitati humanae magis contrarium, quam ut tantum quis indulgeat spurio palato suo, ut usum amittat rationis, ac infra sortem animalis intellectu destituti deprimatur. Quod cum obtineat in ebrietate: mirum non est, eam integram passim catervam excessuum, et turpitudinum habere in suo comitatu. *Vinum et mulieres*, ut legimus in Ecclesiaste, *apostatare faciunt sapientes.* In Proverbiis autem dicitur: *Vae! ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, et in novissimo mordebit, ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extranea, et cor tuum loquetur perversa, et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo.* S. Paulus quoque serio monet Ephesios: Nolite, ait, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Haec et similia publice et privatim, in ambone aeque, ac Confessionali sunt ingeminanda iis, qui hoc malo laborant, aut in illud propendent. Argumenta etiam ex ea, quae ebriositatem certo pede insequitur, depauperatione, exque infelicitate, in quam uxor, proles, tota familia ebrietati dediti hominis ocius tardius indubie conjicitur, desumpta, et congruo loco, modoque proposita, optato certo non carebunt fructu; etiamsi non omnis statim, praesertim inveterata consvetudo potuerit eradicari. Quantum quippe, hoc etiam in genere, efficere possit purae intentionis, et ardentis zeli sacerdotum continuatus labor? praeclari istius in Anglia Religiosi, qui multa centena hominum millia ab hac peste liberavit, et propterea merito temperantiae Apostoli nomen consecutus est, sed aliorum etiam in aliis regnis felici, hoc in genere, successu laborantium, virorum exempla demonstrant.

Digitized by Google

Ebrietatis vitio abominabilior adhuc est infelix, in patria quoque nostra tristem in modum propagata, blasphemandi, imprecandique consvetudo; quam quidem cum novae istius libertatis progressibus, magis etiam invaluisse nemo negaverit. Nec mirum: ubi enim superiorum authoritatum, et legum humanarum evilescit veneratio; ibi divinae quoque leges impudentius violantur, ad eumque homines facile delabuntur audaciae gradum, ut in res quoque sanctissimas, immo ipsum Creatorem suum ac Redemptorem, impiam elevare vocem, omnemque turpitudinem effutire nil pensi ducant. Quanta abominabili huic vitio insit malitia, quamve perniciosum illud per continuam scandalorum cumulationem, in publicam totius communitatis moralitatem exerat influxum? explanare Vobis non debeo, Fratres, Filiique dilectissimi, qui infelicitatem hanc ex propria experientia, ac penitius etiam, quam ipse ego cognoscitis, eamque indubie mecum amaris lacrymis deploratis. Non possum tamen intermittere, quin Vos orem quam impensissime, ut omni virium Vestrarum contentione in exstirpatione hujus vitii elaborandum Vobis existimetis. Explanate omni opportuna occasione, turpem, quae ei inest, erga Deum Creatorem, et largitorem bonorum omnium ingratitudinem; quae quidem tanta sit, ut jam in veteri foedere lapidatione digna fuerit existimata. *Educ blasphemum extra castra,* praecipitur libro Exodi, *et ponant omnes, qui audierunt, manus, super caput ejus; et lapidet eum omnis populus.* Demonstrate porro nihil mirum esse, si Deus a tali Communitate, in qua haec invaluit impietas, omnem suam subtrahat benedictionem, atque adeo imbrem ei immittat malorum. Merito enim inproperari ei potest, quod legimus in 1. libro regum: *Cui exprobrasti, et quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Izraël.* Item quod legimus in Apocalypsi: *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et eos, qui in coelo habitant.* Magis

Digitized by Google

adhuc imputari impietas idgenus debet christianis, quibus inaestimabilia ex ipsa redemptione obtigerunt beneficia. Non minus enim, ut ait S. Augustinus, *peccant, qui blasphemant Christum regnantem, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Caeterum in exstirpando hoc vitii genere non semper severitate, quandoque etiam mansveta admonitione, immo precibus semper autem patientia, ac imprimis fatigari nescia charitate utendum est, cui nunquam fere penitus resistitur, quaeve vincere tandem solet pertinacissima etiam obstacula, potens est ferrea quoque corda emollire.

Plura non memorabo, ne abuti velle videar patientia Vestra Fratres, Filiique dilectissimi; cumque plane, ut altius jam innui, mihi persvadeam, Vos tanquam sollicitos pastores, et penitius cognoscere ovium Vestrarum infirmitates ac indigentias, et non ignorare quae curandis illis, sarciendisque adhibere debeatis remedia. Unum adhuc est, quod non possum silentio praeterire: nimirum ista apud nos sane admodum jam invalescens dierum Domini, et festorum profanatio. Quippe non modo onusta frugibus, faeno, aliis victualibus et terrae productis plaustra conspiciuntur festis ac Domini diebus; sed fornices quoque omnis generis aperti, merces, ut feriatis diebus fieri assolet, expositae, immo formales nundinae, et publicae emptiones ac venditiones, ipsis etiam divinis durantibus institutae; distractiones item musicis concentibus junctae, lususque per cavenas, diversoria, popinas jam matutinis horis passim locum sortiri observantur, non secus profanationes aliae, nec divinis et ecclesiasticis legibus tantum, sed et saluberrimis regiis ordinationibus iteratis vicibus interdictae. Quo quidem in licentiae genere tales in patria nostra, hoc recentiori tempore facti sunt progressus, ut eatenus peregrinorum, teneriori religionis sensu animatorum, non raro excitata sit attentio; ipsae adeo extraneae ephemerides suum in rem, nec injustum manifestarint resensum. Quantum, ex obtutu publicae moralitatis, sanctificationi fe-

Digitized by Google

storum insit momenti? quivis vel obiter humanae indolis rationes expendens assequitur; ea enim neglecta, non modo a divino cultu, et verbi divini auditione retrahuntur homines, et quidem ii potissimum, qui his maxime indigent, sed iste etiam saluberrima quaeque instituta violandi pruritus ac licentia, ingentia capit incrementa, teneritudo conscientiarum intervertitur, omnisque generis excessibus, et peccaminosis distractionibus ansa suppeditatur et nutrimentum. Hinc est, quod providi animarum Curatores, ac recentissime Galliarum Praesules, tantopere suum hac in parte exeruerint zelum, quod in Protestanticis etiam regnis, signanter in Anglia, dierum idgenus sanctificatio severissimis adserta sit legibus; quod nuper admodum in nonnullis nostrae etiam Monarchiae civitatibus, nominatim Pestini ac Posonii, strictissimae eatenus per civilem authoritatem sint editae dispositiones. Itaque quemadmodum, pro incumbente mihi munere, non cesso politicas patriae nostrae jurisdictiones impense provocare, ut praevigentes hac in parte altiores ordines rite observari prospiciant; sic Vos, Fratres, ac Filii dilectissimi, quo possum districtius hortor, ut periculosae isti, magnisque passibus invalescenti dissolutioni, et vere scandaloso abusui, omni quo potestis meliore modo, obviare adnitamini.

Haec sunt Venerabiles Fratres, Filii dilectissimi, ad quae specialius attentionem Vestram excitandam existimavi, et quae, si eadem, qua profecta sunt intentione a Vobis excepta, puroque ac ferventi zelo Vestro fota, et enucleata fuerint, certe multum conferre poterunt ad debellandam istam theoreticam aeque, ac practicam incredulitatem, quae ut initio memoravi, si non unicam, praecipuam indubie constituit malorum temporis nostri scaturiginem.

Caeterum, quamvis, ut pariter jam innui superius, ad indubiam bonorum omnium, omniumque in republica statuum obligationem pertineat, conniti, ut suam quisque pro viribus in hunc finem conferat operam: nemo tamen potest

Digitized by Google

ambigere: inter curatoris animarum, et aliorum hominum in eundem scopum tendentem operationem multum intercedere discriminis. Activitas quippe aliorum statuum proxime temporalia hominum commoda spectat, adeoque et externis potissimum mediis absolvitur, neque apud eos multum quaeritur de interna animi dispositione. Longe aliter se res habet relate ad sacerdotium. Operatio nostra tendit ad ipsam internarum mentis et cordis humani actionum sanctificationem; adeoque ea ex intimis etiam profluere debet pectoris nostri recessibus. Hinc est, quod successus exantlati per Curatorem animarum laboris, potissimum a viva ejusdem fide, conscientiaeque puritate dependeat. Quippe nemo dat, quod non habet; et accendere alios ad virtutem non potest, qui ipse non ardet salutari flamma fidei et charitatis. Haec porro flamma nec succendi, nec succensa ali potest absque jugi cum Deo conversatione, id est absque continua eaque fervida, et fiduciae plena oratione. *Oratio*, ut ait S. Bernardus, *incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum.* Sola pia ac jugis *oratio*, teste Cassiodoro, *serenat cor, abstrahit a terrenis, mundat a vitiis, sublevat ad coelestia, reddit capacius et dignius ad accipienda bona spiritualia.* Hoc itaque fervens orationis studium Vobis, quo possum tenerius, impensiusque commendo dilectissimi; praesertim cum illud nec eruditione, nec subtilitate ingenii, nec quacunque circumspectione, nec ulla demum alia re suppleri possit et sarciri, taleque sit, ut cum illo multa etiam, quae incredibilia videbantur possimus efficere, absque hoc in aures evaporet omnis labor noster, omnis contentio nostra.

Quodsi audieritis hanc meam vocem, quamquam non tam meam, quam ipsius Salvatoris, ipse enim dicit, *vigilate omni tempore orantes:* non deerit Vobis superna illa gratia, quae non solet remanere vacua, quaeve dabit eloquio Vestro claritatem, inconcussum robur animo Vestro, uberem fructum

Digitized by Google

operationi Vestrae; illa inquam gratia, quae teste S. Augustino, *si in corde tristitiam invenerit, consumit et dissolvit; si desiderium, permansivum facit, si trepidationem ejus, abjicit.* Sed spiritus iste orationis plurimum etiam conducet ad id, ut proprium vitae Vestrae exemplum pulcherrime consentiat doctrinae et praedicationi Vestrae; quod quantopere necessarium sit? et ipsi non potestis ignorare Fratres, Filiique dilectissimi, et ego iteratis jam vicibus explicatius Vobis proponere adnisus sum. Quamobrem hac vice id unum eatenus suffecerit memorasse; quemvis Curatorem animarum, cujus vitae ratio contraria est doctrinae quam proponit, plene sibi persvadere posse: longe maximam fidelium partem vitam potius, quam doctrinam ejus imitaturam. Ipse quippe ruralis populus naturali quadam conjectura facile assequitur: non posse illum convictum esse de veritate eorum, quae dicit, cujus facta dictis contradicunt. Sed et propterea illa potius, quam haec sequitur populus, quod ea sensualitati suae faveant et passionibus, ista repugnent. Non potest certe sacris praesertim curionibus satis inculcari, quod tam amoene dicit S. Bernardus: *Pulcherrimus ordo est, et saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, portes prior, et ex te discas, qualiter oporteat aliis moderari.* Quomodo (exempli causa dictum esto:) sperare potest Curator animarum, ut ejus ad praestandam omni legitimae authoritati reverentiam, et legibus obedientiam, factae provocationes optatum operentur effectum, si vel aliqua pars fidelis populi observet, eum ipsum propriae suae superioritati detrectare obedientiam, solemni etiam promissione obstrictam, immo eo procedere temeritatis, ut divina authoritate stabilitam in Ecclesia praepositorum authoritatem, publicis etiam scriptis praesumat vellicare, impugnare? vel quomodo potest expectari, ut salutaria illa, quae toties ex ore Parochi sui audiunt verba: *Quaerite primum regnum Dei, caetera adjicientur vobis*, disponant homines ad consectanda ea, quae sublimioris virtutis sunt,

Digitized by Google

et ad animae salutem pertinent, si videant, aut intelligant, eundem Parochum suum non de moribus suis ad rigorem sacrorum canonum exigendis, sed de legibus Ecclesiae ad genium suum conformandis, de relaxanda universali, qualis exempli causa est saluberrima coelibatus Cleri, disciplina cogitare?

Sed haec hactenus. Quod attinet ad modum dispensationis in lege abstinentiae, jejuniique quadragesimalis; in norma prioribus annis praescripta, ne hac quidem vice quidquam censui immutandum. Ast quoniam et hoc disciplinae genus, quod felicioribus Ecclesiae temporibus salutarem prorsus, ac pene incredibilem in morum pietatem, alendumque religiosum sensum exeruit effectum; quodve sanctissimis non magnorum solum omnis aetatis virorum, sed ipsius divini magistri ac Salvatoris nostri, exemplis est consecratum, ac tot legibus ecclesiasticis constabilitum, ingentia ex ista novae libertatis inundatione subiit detrimenta: hortor Vos, Fratres, Filiique delectissimi, ut omnem omnino non modo ad salvandas, quae adhuc supersunt, ejus disciplinae reliquias, sed et ad eam, quoad saltem res patitur, restabiliendam operam Vestram, sincere, ac zelose convertatis; itaque concessa dispensandi facultate nonnisi necessitate, et conscientiarum teneritate sic exigente, utendum Vobis arbitremini.

Et nunc Fratres, quoniam Vos estis presbyteri in populo Dei, et ex Vobis pendet anima illorum, ad eloquium Vestrum corda illorum erigite. Non est exhortatio nostra de errore, neque de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes sed Deo, qui probat corda nostra. Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum dominum Nostrum. Et certe ea vivimus tempora, ut non possimus non existimare ad nos pertinere illud Jeremiae: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem. Exalta,*

Digitized by Google

noli timere. Dic civitatibus Juda ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur; ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. Item illud Ezechiae: *Si dicente me ad impium: morte morieris, non annunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat: ipse quidem in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* In reliquo sicut Ipsi *non cessamus pro Vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spirituali*: sic vicissim, Vos Fratres Filiique dilectissimi *orate pro Nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur, sicut et apud Vos. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sangvine testamenti aeterni, Dominum Nostrum Jesum Christum, aptet Vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem.* Amen.

Datum Zagrabiae Dominica Septuagesimae in 27. Januarii incidente, anno Domini 1850. Episcopatus Nostri Decimo tertio.

Georgius, *Episcopus m./p.*

Digitized by Google

Appendix I.

ALLOCUTIUNCULAE AD CLERUM JUNIOREM IN SEMINARIO DIOECESANO HABITAE.

1.

Dilecti Filii!

Quamvis decursu spiritualium exercitiorum, quae nunc admodum absolvistis, occasioneque perlectarum instituti legum, non pauca impensa vobis sint salutaria monita, ad digne ambulandum sanctae, quam ingressi estis vocationi: praetermittere tamen non potui, quin data mihi, post diuturnam absentiam, in sede mea Episcopali commorandi facultate, usus, et ipse, cum exordio anni hujus scholastici, paterna quaepiam vobis adderem consilia, nonnulla impertirer verba salutis.

Sic ego semper mecum persvadebam: feliciorem religionis statum, christianae vitae probitatem, spes denique spirituales futurae generationis potissimum ab eorum, qui altaris ministerio destinantur, id vero est, a Seminarii alumnorum in virtutibus, ac literis profectu dependere. Nam qualis Sacerdos, talis populus, et qualis Clericus, talis passim Sacerdos. Quo acerbiori dolore compleverunt animum meum, ea, quae prioribus annis in medio vestrum acciderunt; tristitia replevit cor meum, quod reperti, nec pauci, fuerint in hoc plantario, qui penitus obliti, in quam vocati sunt, haereditatis, procul a virtutum sacerdotalium deflexerunt tramite, immo culposis in transversum acti passionibus, non solum con-

Digitized by Google

scientias suas, sed ipsam sacri hujus Instituti existimationem, et honorem macularunt, gravissimisque, nec omnino infundatis, obnoxium reddiderunt subsumptionibus; quod reperti fuerint alii, qui, nescio, quo socordiae spiritu irretiti, vix aliquem fecerint profectum in sacratioribus studiis literarum, quibus videlicet percoli, et apti aliquando ad rite explendas ministerii, angelicis humeris formidandi, partes reddi debebant.

Destinatio status sacerdotalis est, homines per religionem ducere ad morum probitatem, quae absque religione genuina firmaque esse non potest, per probitatem item morum ducere ad felicitatem, quae absque probitate nulla est, nec in hac temporali vita, nec in illa, quam inquirimus, sempiterna. Hac certe vocatione nihil sublimius, nihil dignius, nihil potest cogitari salubrius, sed nihil etiam delicatius. Quaecunque unquam tetigerunt Ecclesiam Dei fata, quamcunque crudeles adversus eam exstiterunt persecutiones, quantacunque fuit eam impugnantium seu haereticorum malitia, seu pseudophilosophorum astutia, non modo perseveravit incolumis, sed et floruit gloriosa, quoad ministri ejus vivae fidei aestuabant igne, zelo animarum indefesso agebantur, innocentia, ac sanctimonia vitae non minus, quam cognitione divinae legis semet distinguebant. Talibus Altaris ministris, talibus Pastoribus nulla resistere potest vis; nulla tela nequissimi ignita destruere possunt, quod spiritu Dei refertorum, et scientia ornatorum Sacerdotum vitae rationi inest, propugnaculum. Testes hujus rei sunt, non antiqua solum illa, sed recentissimorum quoque temporum exempla; signanter exemplum regni Galliarum, quod alias me memorasse memini; in quo videlicet, non obstantibus cunctis horrendis illis, quae unquam orcus evomere potuit, in religionem et Ecclesiam impietatum monstris, non obstante summa, ac pene effrenata quidquid dicendi, ac scribendi licentia, religio, ac christiana morum probitas nova in dies capit incrementa: quod,

Digitized by Google

post divinam gratiam, nulli certe alteri rei est adscribendum, quam eximiae cleri Gallicani virtuti, insuperabili salutis animarum zelo, et isti, cui se unice, totumque dedere asvevit, sacratiorum studio literarum.

Sublimis inquam est sacerdotii vocatio, et quoad operandam humani generis prosperitatem nulli secunda; sed vero est una perdifficilis, totum deposcens hominem, plenumque mentis ac animi non minus, quam corporis sacrificium; tepor, somnolentia, fluctuatio mundum inter et Deum, procul abesse debent ab eo, qui pugnam suscipere intendit pro muris Jeruzalem; hic sane maxime tenet illud divini Salvatoris nostri: nemo potest duobus dominis servire.

Quodsi haec semper obtinebant, illis quoque felicioribus Ecclesiae temporibus; quanto magis obtinere debent his quae vivimus, religioni, et veritati, pietatique adeo infestis? de quibus vere dici potest, superabundare iniquitatem, et omnem carnem corrupisse viam suam? Incredulitas nunquam fortasse magis depopulabatur mentes hominum, quam his temporibus nostris; quomodo ergo haec depelletur pestis, aut, ne amplius adhuc serpat, modus ponetur, si ii, qui portant vasa Domini, ipsi non calescant divino fidei igne? Nunquam fortasse homines minus aeternarum veritatum, vitaeque sempiternae rationibus semet occupabant, magisque se terrenarum rerum caducitati consecrabant, quam hac, quam agimus, aetate: quomodo ergo animi eorum ab his retrahentur terrestrium desideriorum studiis, et ad illa potius coelestia, et perennia elevabuntur, si ipsi, qui propterea missi sunt, ut doceant mortales, quemadmodum oporteat primum, et ante omnia quaerere regnum Dei, et justitiam ejus, oculos ad terram magis versos, quam in coelum monstrant levatos? quibus haec caduca potius, ac terrena cordi sunt, quam aeterna illa et coelestia? Nunquam profecto sacrosanctae Fidei nostrae fundamenta astutius, acerbiusque omnigenis opinionum humanarum commentis, doctis fabulis, falsisque impugnaban-

Digitized by Google

tur genealogiis, sed et literarum profanarum omnis generis studiis nunquam majori contentione occupabantur homines, quam his diebus nostris; quomodo ergo sustentari poterit depositum Fidei, quomodo sophismata refelli, veritas salutarium dogmatum nostrorum defendi, si ipsi, qui horum depositarii sunt, crassa laborent ignorantia, nec sciant respondere rationem fidei percontanti? si Sacerdotes, tanquam literarum rudes, nedum cultiorum careant aestimio sed omnino contemptui plurimorum semet reddant obnoxios? Nunquam, ut equidem existimo, superbia, avaritia, luxuriae omnis generis abominatio, odia, irae, turpis aemulatio, caetera vitiorum portenta funestius christianos populos infestabant, quam hac die nostra; quomodo ergo, et unde his existet medicina, si ipsi, quos tanquam lucernam super candelabrum positam, cunctis, qui in domo sunt, lucere voluit Dominus, non modo non elaborent omni virium contentione in his mentium humanarum putoribus resecandis, sed et vitae suae ratione aliis fiant lapis offensionis, et petra scandali? si ipsi ii, qui praecones esse debent Evangelii pacis, qui omnium subservire deberent saluti, Graecis aeque ac Hebraeis ministrare, benefacere odientibus se, orare pro persequentibus se, ipsas adeo animas suas ponere pro multis, charitatem laedant, scindantur in partes, odia foveant, omni exuti mansvetudine in rixas, dissensiones, certamina, conflictus prorumpant?

Sed nolim tristem harum rerum imaginem pingere diutius: satis quid dicere velim, intelligitis. Ac equidem haec quoque propterea potissimum, hac opportunitate, vobis volui memorare, ut unusquisque vestrum nunc adhuc, dum tempus est, regredi in cor suum, et suas ipse secum de destinatione sua, futuraeque vitae suae tenoribus inire possit rationes; ne sanctissimos vocationis suae fines intervertat potius aliquando, quam promoveat, et ruina existat multis, sibi autem adsciscat damnationem.

Digitized by Google

Itaque hortor vos, Filii dilectissimi, immo obtestor per viscera misericordiae Jesu Christi, ut in intimos penetrantes cordis vestri recessus, cogitationes, affectus, inclinationes vestras, cum sacerdotalis vocationis gravitate, sanctimonia, sublimitate serio conferatis, et, si minus vos in statera appendere compereritis, recedatis potius ab hoc sanctuario, quod non debet, non potest profanae immundiciei sordibus inquinari. Si quis vestrum non sentit in se donum, quod est supra omne donum Dei, fidem vivam, intemeratam, excedat ex Instituto, in cujus fronte scriptum est: haec est victoria, quae vincit mundum fides nostra; haec est vita aeterna, ut congnoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum. Qui non sentit in intimis cordis sui penetralibus sublimitatem sacerdotalis dignitatis, et pastoralis muneris gravitatem; linquat limina plantarii hujus; quod ideo est constitutum, ut mundos ac illibatos suppeditet altaribus ministros, dignos emittat operarios in vineam Dei Sabaoth, pastores non mercenarios, promptos se praebituros ad propriam etiam vitam ponendam, pro salute ovium suarum, tam pretiosa mercede redemptarum. Quem vitae commodioris, aut plane temporalium utilitatum desiderium ad hunc tenendum cursum incitat; quodcunque arripiat mercaturae genus, conquirat terra et mari, ac quo voluerit modo opes, et facultates, sed non abutatur in viles fines veste clericali, et sublimi ejus ministerio, qui semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, quive, in terris agens, viam perfectionis ex se percontanti dixit: vende universa quae habes, da pauperibus, et sequere me; qui non dignitates, non commoda vitae, non divitias suis pollicitus est Apostolis, sed contemptum, labores, afflictiones, persecutiones. Si quis vestrum, in hoc sui examine, mundanis semet irretitum observaverit desideriis, neque robur sibi inesse existimaverit sufficiens ad castitatem, intemeratamque vitae puritatem, adjuvante divina gratia, conservandam; revertatur ad saeculum, cujus filius est, et non contaminet ha-

Digitized by Google

litu suo pestilentiali auram hujus Instituti, a quo, castissimis agni immaculati servitiis destinato, omnis procul abesse debet vel cogitationis impuritas. Qui non sentit in visceribus suis charitatem, mansvetudinem, misericordiam erga proximum, qui nescit humilitatem, quem non pacis, sed odii, dissensionum, secessionum in partes tenent studia; castra petat militaria, aut quocunque abscedat, non enim est vocatus ad ministerium pacis, ad praeconium legis, quae universa ex charitate pendet, cujus author non est deus dissensionis, sed pacis, ut ait Apostolus. Qui denique non habet gustum literarum, vel, qui ad nescio quas inanes potius cognitiones sibi procurandas propendet magis, quam ad ea, quae sacrosanctae vocationis hujus studia constituunt; redeat ad profana habitacula, ibique grammaticas scribat, pangat carmina, verborum lusus exerceat, et si quae libet tractet alia, hic severiora, graviora et talia sunt omni virium impendio, omnique ingenii contentione agenda, a quibus religionis dependet ratio, integritas vitae hominum, et prosperitas, nec temporanea solum, sed et sempiterna.

Intelligitis ex his, quid a vobis poscat sacerdotalis vocatio, quid operiatur Ecclesia, quid exigat conscientia? qui his, instituto diligenti examine, imparem semet judicaverit, retrahat de tempore manum ab aratro, non enim est suis viribus commensuratum. Vos autem Filii dilectissimi! qui ad praeclara haec vos reapse vocatos persentiscitis, renovate in cordibus vestris proposita sancta, invocate auxilium ab alto, et gratiam ejus, a quo est omnis sufficientia nostra; nullus enim, ut ait Apostolus, propriis viribus valet ingredi januam fidei, nisi patefaciente, et operante gratia Dei. Tum vero praescriptis legibus, et disciplinae domesticae ad omnem amussim respondeatis oportet; haec enim sunt praecipua adjumenta virtutum, et dissolutionis repagula, quae si negligantur in primordiis, sensim sine sensu corruptioni omnis generis via aperitur. Leges itaque domesticas omni cum adcuratione, velim

Digitized by Google

observetis; quae cujusmodi sint? non ignoratis; nec proinde has denuo recensebo; aliquas tantum in specie attingam. Separati ad civitatem exitus, nonnisi ex gravibus prorsus rationum momentis, idque rarissime, nec unquam secus, quam ex positivo reverendissimi Rectoris indultu concedentur; sed neque licebit cuiquam alumnorum ad eos etiam qui sub Seminarii tectis habitant, seu saeculares, seu etiam Ecclesiasticos accedere, demptis Seminarii superioribus, idque officii, aut necessitatis causa. Colloquia cum conscholaribus saecularibus, aut quibusvis extraneis, intra etiam septa Seminarii, pariter interdicta sunto, nisi gravi subversante ratione, et praevie semper facta alicui e superioribus insinuatione, obtentaque eatenus facultate; sed et tunc negotium brevibus terminandum, nec ullus inanibus colloquiis locus indulgendus erit. Cum sexus autem sequioris personis, etiamsi propinquae forent cognatae, clerico nunquam integrum erit colloqui, nisi in praesentia unius e dominis superioribus. In exitu communi praescripta hora, adque locum praescriptum instituendo, a clamoribus, et cantilenis abstinebitis; tanto quidem solertius, quanto minus talia vel modestiores, meliorisque educationis saeculares juvenes decent, nedum clericos, qui omni suo gressu, omnique modo gravitatem praeseferre debent et decorem; neque occasione idgenus exituum saeculares quoscunque vobis associari patiemini, aut a corpore semet quisquam praesumet segregare. In vestitu, gestu, capillorum conformatione, omnem vitabitis vanitatem, omnem ad saeculi inanem gustum conformationem; haec enim adeo non ornant clericum, ut deturpent etiam, et abominabilem reddant: utpote quod satis aperte pandant, eum, necessitate potius impulsum, sacro semet mancipasse ministerio, quam sublimi sacerdotii fine, et sincera vocatione animatum; qui si vere divino se cuperet mancipare ministerio, has saeculi nugas contemneret, et mentis, cordisque non corporis consectaretur ornamenta. Denique ad ea, quae ad opiniones po-

Digitized by Google

liticas pertinent, aut secus extra sphaeram agendorum vestrorum constituuntur, vos immittere, aut quamcunque in talibus partem capere severissime cautum volo. Sat amplum praescripta studia, impositaeque occupationes vobis suppeditant agendorum campum; nihil opus est alia, et ab his heterogenea inquirere; et eos, qui discere debent, non convenit rerum, quas non intelligunt agere arbitros; turpissimum autem Clericos, quorum pars haereditatis Dominus est, saecularibus se immiscere negotiis, aut plane mansvetudini et charitati infesta fovere studia, culposasque ciere factiones. Sed haec hactenus.

En duas ante oculos vestros semitas, una quae ad veram laudem ducit, ad prosperitatem, nec vestram solum, sed multorum, qui vestrae olim sunt credendi pastorali sollicitudini; altera, cujus exitus pudor, remorsus conscientiae, ruina existimationis, omnisque felicitatis et vestrae, et eorum, qui vestris aliquando committendi sunt manibus. Videte, quam potius ingredi debeatis? Sed nec ingredi sufficit viam salutarem, perseverandum in ea est, et nec ad dexteram, nec ad sinistram deflectendum. Ad quod, modo serio contendatis, non deerit vobis gratia altissimi, quam unusquisque invenit, qui cum fiducia accedit ad thronum ejus, ut misericordiam consequatur. Haud vobis etiam deerunt in hoc Instituto necessaria subsidia, assistet certe cunctis aequis desideriis vestris prompta reverendissimorum Lycei Pro-Directoris, et Seminarii Rectoris sollicitudo, et cura paterna, dominorum quoque Vice-Rectoris, Professorum, ac caeterorum superiorum benevolentia, solertia, vigilantia. Vestrum est, graves, quos causa vestri suscipiunt, labores, instituto vitae, et conversationis vestrae alleviare potius, et emollire, quam amaros reddere, ac pene intolerabiles. Ego quoque, qui lubenter omnem pro commodis vestris suscipio curam, quaevis prompto animo fero sacrificia, jure deposco, ut ne grati animi documenta a vobis desiderari patiamini; jam gentilis,

Digitized by Google

christianae veritatis luce destitutus, philosophus dixit: ingratum dixeris omnia dixisti. Ac equidem eos, qui promptum his paternis monitis meis praebuerint auditum, qui digne ambulaverint ea, quam amplexi sunt, vocatione, paterna complectar teneritudine, tanquam filios in Christo dilectissimos, nec eos ad continuandum vitae suae, et profectus cursum, necessariis patiar destitui subsidiis; sed vicissim iis, quos seu ob verae in Deum pietatis, vitaeque, ad exemplum perfectionis ecclesiasticae compositae, defectum, seu ob remissiorem in studiis literarum profectum, non esse ex hoc ovili cognovero, manus nunquam sum impositurus, memor illius S. Chrysostomi: qui ordinant indignos, eisdem subjacent poenis, quibus illi, qui indigne sunt ordinati; immo vero, quos tales esse cognovero, insuper habitis quibusvis respectibus, ad saeculum, cujus, mutata etiam veste, filii permanserunt, sum relegaturus. Malim enim evacuari Seminarium ac in solitudinem redigi, quam talibus repleri alumnis, qui non salutares olim timoris Dei et puritatis vitae operentur fructus, sed spinas producant, et tribulos, et acerbas uvas, quarum gustu serorum adhuc filiorum dentes obstupescant. Praestat nullos, quam perversos esse sacerdotes; duodecim Apostoli mundum pene universum ad agnitionem Dei, et vitae sanctitatem converterunt, saepe unus impius sacerdos ingentem Ecclesiae sanctae intulit vastitatem.

Agite itaque, iterum, atque iterum vos hortor, Filii dilectissimi, et quid gloriae Altissimi, cujus altaribus destinamini, quid Ecclesiae sanctae, quae a vobis sincera servitiorum operitur subsidia, quid populo sancto Dei, pretioso agni immaculati sangvine redempto, quid propriae vestrae, et temporaneae, et aeternae expediat saluti? diligenter expendite; vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante filium hominis; expendite, quod arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed sumus potentia Deo ad destructionem munitionum

Digitized by Google

consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Agite inquam, vigilate, et non cessate orantes, ut dignetur vos Deus vocatione sua sancta, ut viam sapientiae monstret vobis, et ducat vos per semitas aequitatis, quas cum ingressi fueritis, non arctabuntur gressus vestri, et currentes non habebitis offendiculum; ad quod paternam vobis benedictionem toto cordis affectu impertior in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Digitized by Google

2

Filii dilectissimi!

Post bimestrem, quam systema cursus studiorum indulget, animi relaxationem, confluxistis iterum ad aedes has, vestrae, qua pubis ecclesiasticae, educationi, institutionique destinatas. Aliqui vestrum ultimum ordiuntur cursus sui theologici annum; alii nunc primum posito habitu saeculari, et nomen sumunt, et vitam occipiunt clericalem; plerique ex inferiori ad superiorem theologiae classem progressi, vocationis vestrae studia estis continuaturi; cuncti pergitis soluto passu in via destinationis vestrae. Non dubito vobis decursu sacrorum, quae nunc admodum conclusistis, exercitiorum, serio explicatiusque proposita fuisse ea, quae ad rationes pertinent vocationis clericalis; nec omnino ambigo haec, sub decursu quoque anni scholastici, data quavis opportunitate, per dominos superiores et institutores vestros frequentius ob oculos sisti vobis, explanari districtius, et quoad licet, profundius animis vestris instillari. Cum tamen rerum mearum adjuncta, et temporis aliqua mihi concedant momenta, quibus propius me possim vobiscum occupare, et meam, hoc anni scholastici exordio, in loco residentiae meae commorationem patiantur: ad muneris mei arbitrabar pertinere partes, ut et ipse nonnulla, hac in re, ad vos facerem verba; plane confidens, ea, quae ex ore Praesulis, cordeque patris vestri amantissimi, profluxerint, haud omni frustratum iri effectu: quod quidem tanto cupio vehementius, quanto clarius perspicio, futuram Dioeceseos meae sortem, id vero est

Digitized by Google

religionis in ea, morumque probitatis rationes, a vestro in spiritu et sacratioribus literis progressu, non exigua sui parte dependere. Quae dicturus sum, longa non sunt, nec in varias amplae materiae partes divisa, sed, ut ratio temporis postulat, compendiata, et generica; quae tamen, si eo, quo profecta sunt animo, a vobis excepta fuerint, et sensum sacrosanctae vocationis ecclesiasticae in cordibus vestris confirmare, et sancta in vobis proposita excitare, et stimulos, adjumentaque vobis, in cursu constitutis, subjicere poterunt, et suppeditare.

Qui historiam ecclesiasticam jam audivistis, scitis, caeteri subin percipietis: quis fuerit status moralis humani generis, quando Salvator Noster, linquens dexteram gloriae Patris, in hac mortali carne nostra apparuit? Excepta quippe natione hebraica, cunctos orbis populos spississimis ignorantiae in iis, quae ad nostram cum Deo correlationem pertinent, tenebris, involutos, inque profundissimo vitiorum, ac corruptionis moralis coeno constitutos fuisse, historiae monumenta loquuntur; utpote absque revelationis lumine, per horribilia quaeque gentilis superstitionis devia caecutientes. Sed et natio Judaica, ad conservandam veri Dei cognitionem electa, recessit a genuino legis divinae intellectu, ac impiis, parte ab una Sadducaeorum, ipsam animae immortalitatem inficiantium, dogmatibus, pharisaica, parte ab altera, hypocrisi, cunctisque passionum humanarum froenis laxatis, in tantam immersa fuit morum improbitatem, ut nihilo pene gentilibus melior, immo, divino oraculo teste, ipsis Tyriis Sydoniisque corruptior, et depravatior censeretur. Omnino cum veritate dici poterat: quod omnis caro corruperit viam suam, nec unquam magis, quam ea tempestate, opus fuerit dudum promisso illo rore coelesti, redemptore, medicoque, his tantis generis nostri infirmitatibus divinam opem adlaturo. Et reapse comparuit, secundum admirabile sapientiae, et bonitatis divinae consilium, vetus illa expectatio gentium, Salvator quippe noster, Redemptor, doctor una ac medicus, qui non ipse solum

Digitized by Google

sanctissimo vitae suae exemplo, admirabilique, ac ad id usque temporis prorsus incognitae, et sanctimoniae et efficaciae, doctrina sua, grande hoc regenerationis hominum opus exorsus est; sed et delectis, ex infima passim nationis suae classe, nonnullis viris, quos Apostolos compellamus, amplissimi illius, quae Ecclesia catholica dicitur, instituti fundamenta jecit. Pauculi hi piscatores, imbuti virtute ab alto, tam prospero successu continuarunt occeptum grande opus, ut, post paulo, doctrina salutaris totum pene permeaverit terrarum orbem, eamque induxerit vitae sanctimoniam, et morum puritatem, quae nunquam antea cognita fuit homnibus, quae evertit undique impietatis propugnacula, fugavit scelera, compressit licentiam, hisque substituit verum Dei cultum, innocentiam morum, humanitatem, ac timoratam conscientiae puritatem. Vere infirma et contemptibilia mundi elegit Deus, ut confunderet fortia; nec unquam providentiae suae, suaeque potentiae manifestius edidit documentum, quam dum exiguis adeo, ac tenuibus institutis tam ingentem indidit vim, et efficaciam. Hos quippe pauculos piscatores voluit esse salem illum salutarem, quo vitiorum putredine mundarentur mentes omnium nationum, parva hac lucerna supra candelabrum posita, tenebras illuminavit caecutientis orbis terrarum.

Hoc apostolicum institutum, magis magisque in dies evolutum, ac per octo et decem saeculorum decursum, divino in terris regno propagando intentum, hodiedum perstat inconcussum. Episcopi quippe, eorundem successores, Presbyterique ac alii minorum ordinum viri, per diversos hyerarchiae sacrae gradus dispertiti, subque summi Pontificis, tanquam visibilis sui capitis, gubernio in unitate fidei consociati, iisdem sacerrimis praesunt finibus; conservandae quippe, propagandaeque salutaris istius doctrinae, innocentiae vitae, ac morum puritatis in populis conservandae, adserendae. Hi sunt quorum manibus divina dispensantur mysteria, quorum fidei de-

Digitized by Google

positum sacrum concreditum est, qui tanquam pastores, gregis hunc custodire debent ab omni ferarum incursu, et deducere ad virentia veritatum pascua, et fontes salutares. Hi sunt, qui tanquam seduli operarii dominicum agrum in sudore vultus sui excolere debent, exstirpare zizania, et colligere frumenta in gazophilacia vitae aeternae. Hi sunt, qui ad id missi sunt, ut ignorantiae et superstitionis tenebras repellerent ab ingeniis hominum, debellarent vitia, et omnem impietatem, rebelles voluntates divinae legis et virtutis obsequio subigerent, hisque sanctissimis finibus non modo cuncta sua studia, omnesque mentis et corporis vires, sed ipsam adeo vitam suam scirent, vellentque immolare.

Porro, cunctis licet Ecclesiae temporibus exstiterint inimica studia hominum, exstiterint varia persecutionum genera, ex astutia, crudelitate, aliis perversitatis scaturiginibus prognata, contra quae assidue depugnandum fuit sanctuarii viris, verbi divini praeconibus, animarumque pastoribus: vix tamen, inde a jactis per Salvatorem nostrum Ecclesiae fundamentis, fuit aliquod temporis momentum, quod majora religioni, inseparabilique ab ea morum probitati portenderet pericula, ampliorem itaque a sacerdotio deposceret contentionem, quam deposcat praesens, quod vivimus, aevum. Seu enim rapidos incredulitatis, parte ab omni progressus, ac veritates sanctissimae religionis nostrae impugnandi pruritum et audaciam, seu istam morum probitati tam infensam perditorum librorum colluviem, seu ingentem in religiosorum actuum exercitio teporem, seu denique salutaris ecclesiasticae disciplinae, intra ipsa sanctuarii saepta, contemptum consideremus: confiteamur est necesse: rem religionis nostrae, et morale ejus regnum, nunquam majori expositum fuisse discrimini, quam hac praesente temporis nostri iniquitate; nec proinde unquam magis fuisse necessarium, ut Sacerdotium intemeratae vitae propriae exemplo, infatigabili praedicatione verbi, indefesso in sacratioribus studiis conatu, tota denique

Digitized by Google

virium contentione in iis, quae sanctae suae vocationis sunt, elaboret, ne majora adhuc capiant detrimenta, ac plane periclitentur muri Jerusalem; ne mundo infusum per Salvatorem divinum lumen, amplius adhuc obfuscetur, neve fortasse auferri plane contingat e finibus nostris regnum Dei, cujus non fuerimus digni, et transplantetur in nationes alias, facturas fructus ejus.

Ad hos labores ad hanc pugnam vos quoque destinamini, filii dilectissimi, haec est pars haereditatis vestrae, haec vocatio vestra; de qua serias vobiscum ipsis rationes ineatis est necesse; et qui robur, quod ad hoc militiae genus digne obeundum requiritur, non persentiscit in pectore suo, recedat potius dum adhuc tempus est, et alium, minus laboriosum, minus fortasse periculosum sibi deligat statum. Non est pro athleta factus, qui delicatum a natura sortitus est corpusculum; nec unquam militarem consequetur gloriam homuncio vitae mollis, et effaeminatae. Qui vero vocantis gratiae vocem animadvertitis in vobis, qui desiderium, vivum desiderium, persentiscitis in praecordiis vestris, et vestram salutem operandi, et alios, in via veritatis et virtutis dirigendi, debellandi vitia, plantandi virtutes, perfectionem christianae vitae, quantum in vobis est, adserendi in animis hominum, qui destinationis hujus sanctimoniam scitis aestimare: huc cogitationes, huc studia, huc omnem omnino contentionem vestram conferatis, ac missis coeteris tanquam inanibus, minusque dignis hac sublimi vocatione vestra, piis Patrem caelestem exoretis suspiriis, ut numine suo, hanc vobis mentem confirmet, suamque tribuat sanctam gratiam, quo digni aliquando evadere possitis altaris ministri, providi dispensatores mysteriorum caelestium, fructuosi in vinea, pretioso Filii ejus sangvine rigata, operarii.

Quodsi hoc meum adoptaveritis consilium, si jugiter prae oculis mentis vestrae habueritis sanctitatem, sublimi-

Digitized by Google

tatem vocationis vestrae: facili negotio, quae agenda, quae omittenda fugiendaque vobis sint? perspicietis. Perspicietis, quam nihil possit esse abominabilius Clerico, qui fastidiat orationem, et sacras meditationes; sine quibus nec accendi, nec sustineri potest divinus ille fidei, spei, et charitatis igniculus, qui fons est et scaturigo omnis vitae spiritualis, omnis sacerdotalis perfectionis? Perspicietis, quam indigne agant, qui non ex iis, quos memoravi, sacratissimis finibus, sed aut honorum cupiditate, aut temporalium bonorum aviditate, aut metu asperioris vitae, commoditatisque studio, in hoc semet intrudunt sanctuarium; similes abortivis, qui larvam legitimae nativitatis induentes, veros haeredes suo exuunt patrimonio, et gazophilacea patris familias inique depopulantur? Perspicietis, quam opus vobis sit spiritu humilitatis, mansvetudinis, patientiae; quam procul vos abesse oporteat ab omni vel umbra carnalis concupiscentiae, quam pura, teneraque praeditos conscientia; qui ad portanda olim vasa Domini deputamini, ad reprimendam in hominum animis superbiam vitae, ferociam morum, omnem carnis spiritui adversam petulantiam? Perspicietis, quanta in ipso externo habitu vestro elucere debeat modestia, quanta custodia oculorum, sermonis sobrietas, gravitas incessus, compositio actionum? quam itaque detestanda in clerico apparere debeat procacitas verborum, quam culpabilis abjiciendi clericalem, et induendi saecularem vestem pruritus, quam inconveniens ista ad saeculi genium conformatio capillorum, quam turpis societatum, lusus, poculorumque causa institui solitarum, frequentatio, quam reprobanda in Ecclesia, ac platea quoque, circumjactatio oculorum, concursatio puerilis, clamorosae ac vix contubernium militare decentis conversationis, cantilenarumque consvetudo? Certe ex clerico, his dedito, adeo nihil utilitatis sperare potest Ecclesia sancta Dei, adeo nulla exspectari possunt adversus invalescentem saeculi corruptionem

Digitized by Google

praesidia: ut praemetuendum potius sit vehementer, ne lapis fiat offendiculi multis, et, quae eradicare debebat, vitiis, laxata suae vitae ratione, moribusque suis, haud modica subjiciat fomenta.

Sed, advertentes ad hanc, quam vobis proposui, vocationis vestrae sublimitatem, perfacile intelligetis etiam, quanta solertia vos studiis literarum incumbere oporteat? Apostoli, certum est, homines erant plebei passim, et literarum rudes: tamen philosophorum subverterunt systemata, et crucis reportarunt victorias. Sed id praestare poterant peculiari robore induti ab alto; quamvis et ipsis, hac Spiritus sancti virtute animatis, necessarium fuerit donum lingvarum, necessaria scientia sanctorum, infusa magis divinae providentiae gratia, quam proprio marte aquisita. Quid itaque nos efficere poterimus frigidi satis, et caelestibus istis charismatibus destituti, absque sacratiore studio literarum? quid, hoc praesertim tempore, quando nullum est eruditionis genus, nulla species philosophematum, nullus apparatus literarum, qui non dirigatur ad expugnandam religionem sanctam, qui non tendat ad labefactandas Sanctuarii bases, ad subruenda sanctissima fidei nostrae dogmata? Quomodo his occurrere efficaciter poterit Sacerdos, vix superficialiter tinctus theologicis disciplinis, quive aegre ipse sibi rationem reddere sciat fidei suae? Exhinc cognoscitis filii dilectissimi, perquam necessarium esse, ut jugiter ac indefesso conatu in studiis literarum elaboretis. Dum studia commemoro literarum, nolite cogitare, me qualescunque literas intelligere. Quamvis enim ea sit natura studiorum ac scientiarum, ut aliae aliis lumen affundant, mutuumque sibi praestent subsidium: sunt tamen aliqua minus necessaria viro ecclesiastico, plura etiam noxia vel eo, quod tempus absorbeant pretiosum, et aliis multo utilius, atque adeo necessario impendendum; sunt, quae ad inanes illas referri possunt quaestiones, contentiones illas

Digitized by Google

ac genealogias, quas Paulus Tito studiose vitandas praecipit; sunt postremo, quae eodem Apostolo teste, inflant potius, quam aedificant, et nihil seu ad sanctitatem vitae, seu ad veram eruditionem conferunt. Eas, eas ego intelligo literas, quae fidem in cordibus vestris firmare, quae vos ad pie, sancteque vivendum informare, egregios catechetas, validos olim verbi divini praecones, insignes fidei veritatum, adversus quaevis inimicorum tela adsertores, defensores, solertes demum, prudentia zeloque praestantes, efformare queant animarum curatores; verbo studia, quae vobis, hoc sanctuarium ingressis, tractanda, menti cordique imprimenda propinantur. Haec sunt, quae omnes ingenii vestri nervos debent intendere, caetera parce ac sobrie, animique solum relaxandi causa, dum absque ullo illorum praejudicio fieri possit, sunt admittenda.

Ex his, licet summatim, cursimque propositis, nullo negotio colligere potuistis filii dilectissimi, in quo proprie consistat vocatio vestra, quidve vobis agendum veniat, si digne ea ambulare cupiatis? Agite itaque, sit cor vestrum intime junctum cum Creatore vestro, fonte omnis boni et salutaris, ac hujus etiam, ut confido, vocationis vestrae; sit in intellectu, in ore, in cogitationibus vestris Salvator, qui est lux vera, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum, magister noster, prototypon omnis perfectionis, pastor supremus, judex idem et frater, denique scopus, corona, et gloria nostra. Sit sincerum, sit apertum cor vestrum impressionibus gratiae Spiritus sancti. Sit elevatio mentis ad Deum familiaris vobis; sint deliciae vestrae sanctae meditationes, ungentes animam ungvento illo, quo destitutus Sacerdos, evanidus fit, aridus, et in mundanas evaporat auras, sal factus infatuatum, quod ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Scrutemini, matutinis cumprimis vespertinisque momentis, ad hoc deputatis, internos, maxime etiam abditos cordis

Digitized by Google

vestri recessus; quae res pulcherrimam vobis suppeditatura est occasionem, ea, quae seu ex vitiosa naturae inclinatione, seu ex praepostera cogitandi ratione, seu ex conversatione minus castigata, in saeculo contraxistis, inquinamenta, eluendi, detergendi. Qui ad elationem mentis, et arrogantiam se sentit inclinatum: humilitatem imprimis, quae caeteroquin mater est virtutum, sibi sumat excolendam; qui fervidioris est indolis, atque ad iracundiam pronus: mansvetudinis laudem consectetur; qui nefors ab aliqua adhuc agitatur impura concupiscentia: hanc jugiter invocata divina gratia, penitus comprimere pergat, sibique proponat mori potius, quam castimoniae quid adversum committere, eaque destitui virtute, qua semel amissa, sacerdos vix potest amplius a praecipitio, et infelicitatis barathro liberari. Sic, per caetera virtutum genera contendite, nec unquam, hac in parte, minus vos curios, minus praestetis assiduos; probe memores, quod his tantum irremissis exercitiis, et acquisita semel spiritualia bona conserventur, et nondum possessa acquirantur, et denique ampliores in salutis via possint fieri progressus. Multum autem vobis adferet emolumenti, si quotidie meditationum idgenus ve strarum fructus in chartam etiam conjeceritis, sique frequentius, firma feceritis proposita, certasque vobis, ad breve licet temporis spatium, imposueritis pias actiones, iis, quos debellare imprimis vultis, defectibus, et vitiis contrarias, ac strictas de adcurata idgenus propositorum executione vobis ipsis rationes reddideritis. Sic tutissime ad altiores ascenditur perfectionis gradus: exercitia hujusmodi quodammodo alae sunt, quarum adjutorio anima hominis ab istis mundanarum rerum inquinamentis se magis magisque extricat, et altius volatum sumit versus patriam, sibi a Creatore destinatam. Hac via procedentes, mox diffusam in cordibus vestris persentiscetis charitatem Dei et proximi, quae finis est praecepti, et vinculum perfectionis; nunquam com-

Digitized by Google

mittetis aliquid, quod reverentiae, obedientiaeque superioribus vestris debitae, adversum videatur; sic leges et disciplinam domesticam ad omnem amussim observabitis, denique fraterna, ab omni tamen indecora familiaritate remota ad invicem charitate juncti, svavem jam in hoc Instituto vitam experiemini. Sed in externo quoque habitu, in vultu et oculis, in incessu, omnique corporis conformatione, hic interior profectus vester se exeret, clarisque depinget coloribus; nihil in vobis mundanae vanitatis, nil levitatis apparebit, modesta cuncta, ordinata, clerico digna, et quorumvis, in vos oculos conjicientium, aedificationi apta videbuntur. Porro his repleti animi sensionibus, cordisque desideriis, ad studia vestra impigre, atque adeo omni cum virium intensione tractanda adgrediemini, ac statim ad exordia cursus vestri, omnem diligentiam, omnemque adhibebitis alacritatem, ne anteriora negligentes, minus expeditum in cursu progressum experiamini. Qui debilioris se senserit talenti, naturae parcitatem laboris mensura sarcire, qui autem ampliora a naturae authore nactus est ingenii dona, eorum quo fieri potest, majorem usuram facere adnitetur; probe sciens, immensum patere in quovis disciplinae genere perfectionis campum, plusque ab eo aliquando repetendum fore, qui quina, decuplaque ex Patrisfamilias liberalitate sortitus est talenta.

Haec denique si in mentes, cordaque vestra profunde immiseritis paterna monita, ac consilia mea: fiet indubie, ut cunctis conatibus vestris adspiret gratia Spiritus sancti, amplioresque in dies, in virtutibus et scientiis faciatis proprogressus; similes angelis, quos vidit Jacob per scalam ascendentes, et descendentes. Quippe per virtutum clericalium, sacratiorumque literarum gradus, magis magisque in coelum vos clevantes, digni reperiemini, qui descendere possitis ad corda hominum, et animabus, vobis aliquando credendis, dona, ex sinu Patris, coelestia reportare. Sic aedificabitis corpus

Digitized by Google

Christi, laetificabitis Ecclesiam, honorificabitis ministerium vestrum. Sic vos angelis probabiles, hominibus amabiles, superioribus, pro impensa vobis sollicitudine, cunctisque beneficiis, gratos praestabitis. Sic demum et ipsi coelestibus, jam in hac terra, perfruemini deliciis, vitamque degetis plenam spiritualium gaudiorum, et, quod rei caput est, ad eum, quem cuncti inquirimus, ultimum finem tutissime pertingetis, recepturi in sedibus beatorum mercedem magnam nimis ab eo, qui potens est et verax. Quod ut vobis concedat Dominus omnipotens, ex intimo corde precor, paternamque, hoc fine, benedictionem peramanter vobis impertior, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Digitized by Google

3.

CUM DISCESSU AD COMITIA ANNO 1847, MENSE OCTOBRI.

Dilecti Filii!

Quemadmodum superioribus annis, ubi rerum mearum admittebant adiuncta, consveveram, sic hoc etiam anno scholastico occipiente, intendebam verba aliqua salutis, et paternae exhortationis ad vos dirigere Filii dilectissimi! sed aliis mihi incumbentibus negotiis ab implemento huius intentionis meae impediebar; quod quidem aequiore ferebam animo, cum non dubitarem, solita triduana exercitia eo zelo Vobis, ea unctione, ac soliditate propositum iri, ut omnino non deesset mentibus, animisque Vestris spirituale pabulum, immo abunde suppeteret, unde confirmari in fide possitis, ac salutaria pro toto huius anni decursu, atque adeo pro omnibus futuris vitae Vestrae sacerdotalis annis concipere, aut concepta obfirmare proposita. Nunc ubi, exposcente sic muneris ratione, post paulo solitae meae residentiae locum, ad longius fortasse tempus cogar deserere, itaque plurium, ut supponere debeo, mensium spatio non sum visurus faciem Vestram, non potui intermittere, quin paterna mea Vobis pandam desideria, ac aliquos Vobis, sponte etiam currentibus stimulos subiicere contendam, confidens in Domino, et

Digitized by Google

filiali animi vestri teneritudine, paucula haec mea, eaque ex intima erga rem sacrosanctam religionis voluntate non minus, ac paterno erga vos studio profluentia verba optato effectu haud caritura.

Facile perspicitis Filii dilectissimi, totius futurae vitae vestrae fundamenta jaci in Cursu vestro seminaristico, et qualia haec fuerint, tale futurum totum vestrae operationis aedificium; perspicitis hic radices figi arboris in agro dominico olim vegetaturae, hancque tales laturam fructus, qualis illae fuerint conditionis; seu ut apertius, ac sine metaphoris loquar, vos, si in Seminario firma, veraque fide catholica imbuti, in innocentia vitae, in pietate, in fervido erga Deum, Salvatorem, et proximum amore enutriti, in omni opere bono inque sanctorum scientia solidati fueritis, aliquando probos, zelosos, charitate plenos, doctrina insignes, cunctis denique exoptatis dotibus instructos futuros Altaris ministros, et animarum Curatores; sin contra in Seminario mentes vestrae requisitis cognitionibus vacuae, aut inanibus rerum ideis refertae, et corda vestra virtutibus destituta, aut plane vitiorum germinibus obsita, vel saltem frigida, tepidaque remanserint, vos quidem gentem sacerdotalem, sed non gloriam eius adaucturos, immo, quod Deus omen avertat, in corum censum redigendos fore, qui non aedificant, sed demoliuntur corpus Christi, qui non portant cum honore, sed contaminant, confringunt vasa Domini, qui non excolunt, sed instar mali hominis zizaniis conserunt dominicum agrum, qui non condiunt, salis instar salutaris, mentes cordaque hominium, sed in putredinem propellunt, et corruptionem; quique propterea, sicut abominabiles se praebent bonis omnibus, sic in hac vita propudium sibi et contemptum, pro futura vero aeternam consciscunt damnationem.

Non ignoratis Filii dilectissimi eos, qui tractandis armis semet dedicare, et militari aliquando gloria inclarescere

Digitized by Google

desiderant, multorum annorum decursu matematicis, geographicis, strategicis, tacticisque ut vocant, et quae his similes sunt, disciplinarum generibus sedulo occupari, animum suum ad fortitudinem, et generositatem, corpus variis exercitiis ad perferenda facilius, feliciusque futura incommoda et pericula, omni contentione obfirmare; eos, qui Themidis servitio, aut civilibus secus vel politicis se dedicant officiis, indefessam juridicis, statisticis, publicae oeconomiae, ac aliis homogeneis disciplinis ediscendis navare operam; musices, picturae, architecturae, aliarum liberalium artium, ipsorum adeo opificiorum tyrones sodalesque, toto animi fervore in ea, quae sunt destinationis suae incumbere, quasvis, modo ad optatum conducant finem luctas, fatigia lubenti animo tolerare, onerosa itinera, immo et periculi plenas peregrinationes incunctanter subire, verbo eo cuncta dirigere, ut ea consequantur aliquando emolumenta, eam laudem aut gloriam, quam insignis in sua cuiusque vocatione perfectio possessoribus suis adferre solet. An ne sola vocatio Clericalis debeat tam aut vilis aut facilis existimari, ut pro ea qualiscunque etiam superflua praeparatio sufficiat? Immo vero semper a sapientibus, et vitae sanctitate eminentibus viris existimatum fuit, nihil sublimioris inter mortales cogitari posse, sed nihil etiam quod maioribus obnoxium sit difficultatibus, impedimentis, atque periculis, quam haec recte ad altaris ministerium vocatio, nec proinde dari vitae genus, quod indefessam magis, magisque adcuratam deposcat praeparationem. Quippe cuncti caeteri status ad temporalia tantum hominum commoda, magna parte ad caduca huius vitae oblectamenta provehenda tendunt; status sacerdotalis ad tutandam aeternam illam, quae ipsius creationis nostrae supremus finis est, felicitatem dirigitur, et quidem ita, ut una temporeae hominum prosperitati plurimum subserviat, immo haec sine illa nedum locum sortiri, sed omnino vix cogitari possit. Porro qui vel obiter apud animum suum ex-

Digitized by Google

penderit, quam multifaria, quamque solida opus sit et sacratiorum, et profanarum literarum cognitione ad id, ut quis religionis, morumque doctrinam apto modo instillare sciat rudium, ac parvulorum mentibus cordibusque; ut pro concionibus dicturus, sic varia sacrosanctae fidei dogmata exponat, sic perfectionis Christianae praecepta evolvat, ut vivam excitet, alatque fidem in mentibus auditorum, eosque ad virtutem adamandam et consectandam, permoveat; ut in sacro poenitentiae tribunali exasse implere queat grave adeo ac difficile judicis, doctoris, ac medici munus, ut vacillantes in fide, et dubiorum fluctibus agitatos confirmare, sancta Religionis placita aut fundamenta oppugnantes refellere, consilii inopes in via salutis dirigere, caetera, quae ad pastorale munus pertinent, debite, ac optato cum fructu exequi; qui inquam omnium harum tam multiplicium occupationum expenderit difficultatem, nil de veritate noti illius asserti: *ars artium est cura animarum* poterit dubitare; nec proinde inficiabitur, iam ex obtutu requisitae in Sacerdote scientiae, indefessa prorsus opus esse ad tam grave magisterii munus praeparatione.

Sed solertis huius praeparationis necessitas non minus elucescit, si ad eum, qui in Sacerdote requiritur sublimen virtutis, ac moralis perfectionis gradum respiciatur. Facile quippe potestis conjectura assequi Filii dilectissimi, quam magnum firmitatis gradum debeat adipisci vir Ecclesiasticus, ut cunctis, in quae vel in ipso muneris sui exercitio conjicitur, seductionis resistat periculis; quantum patientiae, ut quae contra se persaepe vibrantur impetitionum varii generis tela sustineat, quin propterea ab arrepto tramite vel uno gressu desciscat? quantum mansvetudinis, ut non in iram concitetur seu ruditate hominum, seu iniquis objectationibus, seu crassis etiam legis moralis praevaricationibus? quam procul a cupiditate temporalium rerum debeat esse remotus, ut cuncta vilipendat in gratiam lucri

Digitized by Google

spiritualis et bonorum aeternorum? quanta prudentia praeditus, ut omnes, quibus vita eius obsita est, scopulos feliciter queat evitare? quanta temperantia, ut nunquam gulae succumbat illiciis, nunquam legi mentis suae in obversum agat, allectus lege membrorum suorum? denique quanta charitate, quanto zelo salutis animarum; ut neque viarum periculis, neque asperitate tempestatum, neque somni dulcedine, nec denique ullis philauciae suggestionibus a prompto, et hilari vocationis suae exercitio retrahatur? Quod hic tam firmus, tam sublimis virtutis gradus non absque assidua, solertique praeparatione, ac nonnisi diuturna, nec unquam interrupta exercitatione acquiratur, nemo, humanae naturae indolem cognitam habens, inficiabitur.

Ex his iam intelligitis, Filii dilectissimi, quo praecipue vobis in decursu vitae vestrae seminaristicae sit elaborandum? Duo quippe sunt, quae vobis iugiter praelucere, quaeve nunquam recedere debent ab oculis mentis vestrae, sidera. Alterum vitae sacerdotalis perfectio, alterum scientiae sanctorum soliditas.

Quod adtinet ad primum; ea fundamentum firmum nonnisi in fide viva potest sortiri. Hanc itaque imprimis constabilire in vobis omni virium contentione adlaborate. Medium vero ad id efficacissimum est mens a praejudicatis repurgata opinionibus, ac animus promptus ad aquiescendum cognitae veritati. Tum irremissae pro hoc inaestimabilis gratiae dono preces, fusae ad Patrem luminum, a quo omne bonum datum descendit. Multum praeterea ad profectum in via virtutis conferunt meditationes sacrae, quae non sunt aliud, quam fiducialis cum Deo, et propria conscientia conversatio. Hae ex carnali spiritualem reddunt hominem, hae animum perungunt oleo salutis, hae ex caducarum hujus vitae rerum miseria versus sempiternam, quam inquirimus, patriam nos elevant, sordes terreni pulveris detergunt, sublimioribus mentem implent conceptibus, spe dulci nos nutriunt, cha-

Digitized by Google

ritate exornant. Ad hanc porro vitae sacerdotalis perfectionem in nobis constabiliendam mirifice confert frequens, dignusque usus Sacramentorum, ac cumprimis poenitentiae, et quo augustius nullum cogitari potest, Eucharistiae Sacramenti. Haec sunt illa coelitus nobis data charismata, quae abluunt maculas animae nostrae; robur indunt, et fortitudinem ad terendam salutis viam, pacem illam, quae omnem exsuperat sensum, jam restituunt, iam adaugent in penetralibus cordis nostri. His neglectis, non potest sacerdos diu in via virtutis consistere, multo minus proficere; immo mox in graves eum cadere praevaricationes est necesse. Sed praeter haec et alia suppetunt in perfectionis sacerdotalis via proficiendi subsidia, quae vobis pater vester spiritualis nullus intermittet suppeditare, modo aperto, et fiducia pleno corde talia suscipiatis. Ego unicum adhuc volo memorare, quippe adcuratam disciplinae domesticae observantiam. Nolite existimare, praescriptas vobis quoad vestitum, capillorum conformationem, distributionem horarum, conversationem in exitibus, modestiam in incessu, custodiam sensuum, imprimis oculorum, regulas, caetera his similia ad adiaphora, minutiasque esse referenda. His, credite mihi, velut spinis rosa, velut corticibus nuncleus custoditur, obvallatur vocationis vestrae sanctimonia; his neglectis, ac violatis, nedum proficere, sed nec diu eo quo posita est loco, consistere poterit virtus, et innocentia vestra. His itaque ad omnem amussim respondere inter praecipuas curas vestras referatis oportet.

Quod iam alterum concernit; nimirum studium literarum; ideo cunctis necessitatibus vestris in hoc Instituto prospectum babere voluerunt pii fundatores, ut curis vitae honeste agendae soluti, omne tempus a pietatis cxercitiis reliquum, omnesque vires vestras in combibendas, quae futuro Altaris ministro, animarumque Curatori necessariae sunt, cognitiones possitis impendere. Et certe qui meliora ab auctore naturae nacti sunt talenta, insignem in omni disci-

Digitized by Google

plinae genere, modo seria adsit voluntas, facere progressum, sed et qui debiliori praediti sunt ingenio, diligentia, ac assiduitate naturae poterunt supplere parcitatem. Sed vero huc, ad exordium statim annui scholastici cursus, omnis vestra convertenda est contentio, nec unquam a primaevo fervore remittendum, minime vero pretiosum his destinatum tempus aliis cuiuscunque nominis occupationibus conterendum. Destinatio vestra, scopus, immo et gloria vestra in theologicis consistit studiis, nec illorum defectus ullo alio cognitionum genere potest sarciri. Cogitate exempli causa, medicum, qui insignis quidem esset pictor, aut musicus, sed admodum debilis in salutari arte morbos hominum depellendi; aut cogitate militem, qui philologus, poëta, nescio quibus praeterea liberalium artium disciplinis imbutus foret, sed expers cognitionum, quae ad debellandos patriae hostes referuntur. Quid quaeso de tali judicabitis, an non quod turpiter aberraverit viam destinationis suae? Idem prorsus sentiendum de Sacerdote, qui diversissimas nosceret lingvarum dialectos, subtilissimas etimologiarum, grammaticasque facere sciret distinctiones, aut omnes politioris in mundo conversationis sibi proprias reddidisset artes, insignis sculptor, egregius venator, sed miser esset Catecheta, aridus in dicendo ad conciones, infructuosus Confessarius, inops consiliorum in monstranda via salutis aeternae, verbo debilis theologus, vix superficiali earum rerum, quae ad dirigendas animas adtinent, tinctus cognitionibus. An talem aestimio, amore dignum existimare quisquam poterit? an non ipsi etiam religioni minus addicti, ac saecularis prorsus genii homines idmodi Sacerdotes, tanquam sidera errantia, et arbores infructuosas debeant considerare, vilipendere?

Nolim attamen, ut dum vos ad studia theologica tota virium contentione tractanda hortor, Filii dilectissimi, quisquam existimet, me eius esse mentis, Sacerdotem, aut clericum cuncta civilium, liberaliumque artium studia

Digitized by Google

penitus debere repudiare, omnes caeteras vilipendere scientias. Sunt ex his nonnullae, quae subsidiorum instar egregie subserviunt vocationi nostrae, quaeve a seriis fessa ingenia nostra utiliter reficiunt, ac innocuam praebent animi relaxationem. Huc refertur verbi causa lingva patria, caeterae necessariae, aut utiles lingvae, historia naturalis, oeconomia ruralis, huc alia complura non minus amoena, quam utilia. Sed haec secundaria tantum, et, ut memini, honestae instar exhilarationis, adeoque horis quae studiis vocationis haud destinantur, tractanda sunt, idque omni cum moderatione. Et, si quod est, quod subsidiarii instar studii, magnam in statu Nostro mereatur commendationem, id certe est studium latinitatis. Hac lingva passim exarata sunt sanctorum Patrum opera, hac resonat lithurgia nostra, haec ad priscae classicitatis thesauros nobis aditum pandit, hac cum ipso visibili Capite nostro, cum tota per orbem terrarum dispersa Ecclesia catholica coniungimur. Ex huius neglectu venit, quod iuventus e gymnasii classibus ad philosophiam progressa, passim adhaereat, gravesque in severioribus illic tractandis disciplinis experiatur difficultates, in ipso etiam theologico cursu non eos, quos posset, faciat progressus. Huic itaque latinitatis, et quidem classicae exercitio, aliquam si me audieritis, temporis, ab ordinariis studiis vestris residui, partem quotidie impendetis; quae res certe uberem vobis et fructum, et honorem est adlatura.

Et haec sunt, quae in procinctu discedendi constitutus, vobis paterno cum affectu memoranda, svadenda, inculcanda existimavi; quae si aditum ad corda vestra invenerint, felices vos, felices fideles, qui vestris olim sunt manibus credendi. Sic parabitis vobis solatia spiritus, quae olim repleant pectora vestra inenarrabili gaudio; sic habebitis aestimium, laudem, et honorem coram bonis omnibus, immo et pravis, qui ipsi, credite mihi iterum aseveranti, contemnunt Sacerdotem ecclesiastico spiritu destitutum, aut literarum ad munus

Digitized by Google

suum pertinentium rudem. Sic et gratos vos erga benefactores vestros exhibebitis, ac meas etiam, quas mihi imminere praevideo, acerbitates emollietis, praesertim si piis ad Patrem coelestem fusis precibus adjuvaveritis imbecillitatem meam; sic laetificabitis ecclesiam, aedificabitis et nunc iam, et magis olim elaborando dominico agro admoti, mysticum, ac incomparabile corpus Salvatoris nostri Christi; sic denique assequemini post brevem huius vitae peregrinationem finem vestrum, aeternam quippe salutem animarum vestrarum; quod dum ex intimis praecordiis vobis adprecor, una paternam peramanter vobis impertior benedictionem in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, Amen.

Digitized by Google

4.

INITIO ANNI SCHOLASTICI 1849/50.

Dilecti Filii!

Eventus proxime evoluti temporis, quippe horribiles, qui totam pene Europam varie exercuerunt, seditiosi motus, horumque diversae phases, et multiplices decursus, notiores vobis sunt, quam ut tales longa enarratione ob oculos vobis sisti necesse sit. Scitis quomodo peculiaris quaedam, eaque pene incredibilis insania mentes invaserit hominum? quanta cum rabie insurrexerint, nec pauca tantum individua, sed integrae omnino classes populationum in urbibus, provinciis, regnis, ac imperiis, contra debitum rerum ordinem, contraque ipsas, et divinas et humanas leges, longo saeculorum usu, multiplici experientia, summis auctoritatibus consecratas? Scitis quam varie, quam turpiter, quam impie eversi throni, quam arroganter depressae, atque adeo contritae legitimae quaeque potestates? quantopere triumphaverit, in religiosissimis etiam antehac urbibus, omnis generis impietas, quantopere invaluerit horrenda morum dissolutio, quanta exhinc humani sanguinis enata sit profusio, quot centena hominum millia facultatibus suis exuta, atque in summae egestatis barathrum detrusa, quanti in exilium acti, quanti publicis carceribus mancipati? Ut vere dicere possimus: *Misericordiae Domini, quoniam non sumus consumpti;* et: *nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro!*

Digitized by Google

Patria nostra peculiari quidem Dei optimi maximi benignitate, multo, hac in parte, felicior fuit plerisque aliis regnis ac provinciis: tamen pestis illa effervescentiae animorum nec nos reliquit intactos. In recenti adhuc memoria tenetis, quae fuerit tristibus illis inundantis anarchiae diebus, facies vel hujus nostrae civitatis? quomodo paucorum, partim exaestuantis phantasiae illusionibus deceptorum, partim per aliorum ruinam propria sua commoda, dignitates utpote et officia, aut opes atque divitias consectantium, audacia et perversitas, metum incutere noverit multitudini benesentientium? qualis in juventute, scholastica praesertim, invaluerit procacitas, qualis subordinationis, modestiae, obedientiae erga superioritatem non tam relaxatio, quam convulsio et proculcatio? quomodo Institutis religiosis, ipsi illi sanctimonialium virginum ordini fuerit insultatum, qui ordo in summa vitae innocentia, strictissimaque paupertate, se unice beneficentiae operibus, et leniendis hominum calamitatibus consecrat, proptereaque apud ipsos Muhametanos, caeteras barbaras gentes, in maximo honore est et aestimio? In hoc quoque Cleri seminario, in quo selecti de mundo juvenes, in futuros Altaris ministros, et praecones Evangelii pacis educari debent, legum domesticarum sanctimonia violata fuit, neglecta Sacramentorum, ipsius adeo domus Dei frequentatio, salutare disciplinae jugum turpiter excussum, deposita omnis modestia clericalis, obedientia superioritati denegata, horumque vice, diurnae et nocturnae evagationes, inconditi clamores, tiburcinationes, denique omnis generis dissolutio tristem in modum invaluerunt, sicque ingens illud civitati, immo toti patriae datum est scandalum, quod videre fuerit, eos ipsos, qui eo destinati sunt, ut populos quondam ad obedientiam legibus ac legitimae superioritati praestandam, ad omnigenam pietatem, sobrietatem, omne denique virtutum christianarum genus edoceant, evanuisse sensu suo, et in praedam cessisse genio saeculi nequam, in summam bono-

Digitized by Google

rum omnium consternationem, et manifestum utriusque reipublicae detrimentum. Quod ad me adtinet; multa, fateor, his superioribus annis tristia mihi acciderunt, sed nullum unquam cordi meo inflictum est acerbius vulnus, quam dum audire debui tantopere desolatum ipsum hoc sacerdotii plantarium, a quo omnis pene in Dioecesi futurae generationis, relate ad fidei et morum integritatem spes dependet. Auxit hunc dolorem meum, quod utroque hujus Instituti subsistentiae nervo, quippe et propriis Seminarii, et Episcopatus reditibus, temporum iniquitate vehementer accisis, neque illam cleri junioris partem, quam, tanquam tabe illa dissolutionis minus infectam, tritici instar a paleis sequestrandam, inque futuros sacri ministerii usus reservandam censui, isthic retinere, aut pro proxime praeterlapso scholastico anno horsum evocare potuerim, sed aedes seminarii pene vacuas et desolatas tanto tempore conspicere debuerim.

Deo aeterno, cujus benignitas non sinit nos tentari supra, quam possimus sustinere, gratiae immortales! nunc immutata est rerum facies. Mens sana redire videtur hominibus; vesanus iste cuncta convellendi spiritus magna parte, ac apud omnes pene nationes, aut compressus, aut enervatus est; auctores tantorum malorum partim promeritas poenas expiarunt sanguine suo, partim in exilium acti, instabiles per exteras regiones vagantur, partim aliis modis innocui sunt redditi, sensimque securitas, ac stabilior rerum ordo in pristinas suas sedes revehitur. In nostra quoque patria, licet multa adhuc restent constituenda, et ad stabiles organismi leges exigenda: tamen clementia Numinis, et inconcussa fidelitate, heroicaque virtute militiae caesareo-regiae pax anhelis votis exoptata, restabilita est; et quidem penes adsertam nationibus, miti Austriae sceptro parentibus, sanam libertatem, et jurium aequalitatem. Ut adeo multos fallacibus temporis illusionibus deceptos, exhalata, ut ita dicam crapula, ad verecundiam, sanioraque redire consilia observare sit; paucis solum,

Digitized by Google

iisque perditissimis infausta, et flagitiosa sua principia ac consilia adhucdum amplexantibus. Et quoniam res etiam domestica Seminarii et Episcopatus meliorem tantisper induere coepit faciem: iis alumnis, qui infelici illo licentiae tempore demonstrarunt, se nequaquam spiritu Dei animatos, sed ut stivam vel arma possint effugere, et vitae commodius agendae subsidia nancisci, aut quacunque alia ex causa clericalem vocationem mentientes, in hoc se sanctuarium intruserunt, ad saeculum, cujus videlicet corruptelam ecclesiastica veste male tegebant, relegatis, Vos filii dilecti, qui tentationi haud succubuistis, aut saltem minorum, quarum nonnulli vestrum se reos effecissent, praevaricationum sincera poenitudine ducti, nobiliorem animum, et certiora vocationis clericalis indicia praebuistis, in albo cleri junioris retentos, fine continuandae educationis vestrae, in hoc Institutum pro novo studiorum cursu convocavi; paratus ad possibilia quaevis ex propria penu ferenda sacrificia potius, quam ad ultra concedendum, ut futuri altaris ministri juventutem suam transigant in medio corruptelae saeculi, cum ingenti dissipatione spiritus, innumerisque contaminationis periculis expositi.

Qui non caecutit penitus, et causas rerum cum eventibus vel aliquantum novit combinare, non dubitabit: praecipuam deplorandorum istorum, quos obiter memoravi, in mundo eventuum causam eo recidere, quod magna parte dereliquerint homines eum, qui unicus est fons et verae sapientiae, et omnis prosperitatis, Deum, quod vehementer debilitatum sit lumen illud, quod solum depellere potest tenebras mentium, ignis ille divinus, qui solus accendere valet hominum corda ad innocentiam vitae, coeleste illud charisma, quod solum pacem inducere potest in societatem humanam, vera quippe Jesu Christi fides, et sacrosancta Ecclesia catholica. Certum pariter est, restaurandae inter homines religionis praecipuum, ac pene unicum remedium in sacerdotio esse constitutum; nec unquam felicius futurum hac in parte hu-

Digitized by Google

manum genus, nisi ii, quibus verbi, et misteriorum divinorum dispensatio credita est, viva omnino sint fide animati, salutis proximi zelo ferventes, innocentia vitae, modestia, humilitate, ardenti Dei et hominum charitate, sufficienti insuper ad instituendos populos, dandamque fidei suae rationem, et refellendos, quibus omnia scatent, ejus inimicos, scientia instructi. Firmiter itaque proposui apud animum meum, nemini imponere manus, nisi quos vere vocatos ad tam sublime ministerii genus tuto queam existimare. Homo sum, et falli facile possum; utpote qui ex externis solum signis debeam judicare. Sed vero ad strictissimas incumbentis mihi muneris partes pertinere video, nulli hac in parte parcere diligentiae, et nullis humanis respectibus in contrarium me sinere detorqueri. Neque ab hoc salutari rigore me unquam vel ipse cleri, qui hucdum ad exercendam curam animarum necessarius censebatur, defectus dimovebit: probe enim scio, religionis bonum, et Ecclesiae salutem, non a numero sacerdotum, sed a dignitate eorum dependere. Pauci Apostoli magnam orbis terraquei partem praedicationibus suis impleverunt, et innumerabilem hominum multitudinem, divina opitulante gratia, in admirabile perduxerunt lumen vitae sanctioris. Unus persaepe vir apostolicus, teste historia, integras ad Christum convertit gentes, aut provincias. Olim per sat longos terrarum tractus pauci tantum degebant ecclesiastici viri, et tamen plus religiosae fidei inter homines fuit reperire, quam in hac abundantia sacerdotum. Hodiedum in Americae septentrionalis oris, aliisque orbis terraquei partibus reperiuntur communitates Catholicae, quae vix semel, bisve per annum missionarii Sacerdotis recreantur praesentia; et tamen testibus iisdem missionariis, viva in ipsis perseverat fides, immo admirabilis quandoque apud eos reperitur vitae sanctimonia. Sane praestat, ut ad decem milliaria proficisci debeant fideles, quo expiare possint suam conscientiam, aut publico divino cultui interesse, modo illic verum reperiant virum Dei, cujus fer-

Digitized by Google

vore, unctione spiritus, et pietate aedificentur; reperiant Ananiam, qui dissipare queat tenebras mentis ipsorum, eosque in salutis viam dirigere; praestat inquam, quam ut per omnes vicos, et compita circumcursantes videantur homines, habitu quidem exteriori sacerdotum speciem exhibentes, sed qui, relate ad spiritum, evanuerunt in saeculares auras, qui nihil christiano populo adferre valeant genuinae aedificationis spiritualis, aut qui plane corruptis suis moribus, impiis suis sermonibus, ei impedimento potius sint in via salutis, quam incitamento. Et ideo, repeto, sic me esse animo dispositum, ut malim vacantia relinquere beneficia, et plures etiam Parochias uni concredere probo, dignoque sacerdoti, quam committere, ut polluatur sanctuarium Dei indignorum promotione; ut animae pretioso Christi sanguine redemptae, mercenariorum credantur manibus, aut plane perfidorum, inque vitiorum coeno semet volutantium hominum passionibus cedant in rapinam. Sat tristia hac in parte recentissimis etiam temporibus expertus sum, immo tales supervixi eventus, qui acutarum instar sagittarum penetrarunt pectus meum. Nolim similibus ullo facto, aut neglectu meo, ipse uberiorem ansam suppeditare, neque committere, ut meum coram justo olim Dei tribunali reddendum responsionis onus ingravescat.

Facile ex his collimabitis Filii dilectissimi, quem ego vos dehinc sequi tramitem percupiam, qualemve a vobis vitae deposcam rationem; a vobis inquam, qui ad sublimem, summeque momentosam istam sacerdotii, et exercendae olim curae animarum provinciam destinamini. Neque opus habeo, incumbentium vobis obligationum partes explicatius ob oculos sistere, cum id et factum jam sit, nec una solum vice, cumque eae ex ipsis, quas tractatis sacratioribus disciplinis, legibusque Instituti, quas toties promulgari auditis, uberius vobis impatescant, juges denique earundem obligationum vestrarum interpretes in superioribus vestris habeatis. Id tantum Vobis hac vice censui

Digitized by Google

declarandum: disciplinam domesticam strictissime dehinc manutentum, nec omnino indultum iri, ut legibus Instituti, quas praedecessorum meorum pietas et sapientia condidit, vel in minimo derogetur. Singuli vestrum vigilantissimo observabuntur oculo, et qui visi fuerint genuina ad statum ecclesiasticum destitui vocatione, sine magnis ambagibus ad saeculum relegabuntur. Castigationes et poenae non mihi videntur Instituto sacerdotum educatorio magnopere congruere; raro enim est vera emendatio, quae ex metu castigationis promanat; et qui ad sublimem sacerdotii dignitatem adspirat, eum ex intima animi convictione, ex religiosa pietate, ex nobili perfectionis suae studio oportet esse virtuosum. Conversatio cum saecularibus omnis cessare debebit: nihil enim iis, qui divino servitio se devoverunt, cum filiis saeculi, hujus praesertim tantopere corrupti, debet esse commune. Huc pertinet illud Christi Domini, primo quidem obtutu nimiae asperitatis speciem praebens, sed, si genuino sensu sumatur, profundissimae sapientiae dictum: *Qui non odit patrem et matrem, fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam: non potest meus esse discipulus.* Et vel exhinc facile potestis colligere, quantum a spiritu Salvatoris, atque a sanctissimis religionis finibus abludant pseudo illi sapientes, qui liberam clero juniori per compita urbis, privatasque domos evagationem, et secus etiam salutaris disciplinae laxationem ad postulata culturae huius temporis pertinere arbitrantur; quod quidem culturae genus cujusmodi sit? ejus, vix tentatae, acerbissimi fructus, iique, quorum superius memini, effectus, satis demonstrarunt. Nobis non immaturi humani ingenii partus, seu illi ex mente, perversis imbuta principiis, seu ex depravato corde scaturiant, sed ea, quae ab aeterna proficiscuntur sapientia, quae saeculorum experientia constabilita, quae spiritui sacro sanctae Ecclesiae catholicae conformia sunt, agendorum praebent cynosuram.

Digitized by Google

